

UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 01259286 1





JOHANNIS RUDOLPHI THORBECKE

COMMENTATIO

DE

C. ASINII POLLIONIS

VITA ET STUDIIS DOCTRINAE.

ACCEDIT

CASP. JAC. CHRIST. REUVENS,

EPIMETRUM

DE QUIBUSDAM MONUMENTIS CUM POLLIONIS HISTORIA CONJUNCTIS, ET TABULA LITHOGRAPTA.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD H. W. HAZENBERG, JUNIOREM,
MDCCCXX.

FREDERICO GUILIELMO THORBECKE,

PATRI OPTIMO:

DAVIDI JACOBO VAN LENNEP,

J. U. D. Ordini Regio Equestri, cui a Leone Belgico nomen est, adscripto, et in illustri Amstelodamensium Athenaeo Hist. Eloq. Poes. Antiq. Liter. Graec. et Lat. Professori:

JOHANNI HENRICO VAN SWINDEN,

Regis Consiliario extra ordinem, et in illustri Amstelodamensium Athenaeo Philosoph. Phys. Math. et Astron. Professori:

JOANNI VAN VOORST,

Theol. D. ejusdemque in Academia Lugduno-Batava Professori:

Hanc scriptionem suam

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

De C. Asinio Pollione scripturus sum, claro olim et rebus gestis Viro et studiis doctrinae, clariori et hodieque futuro, si ejus memoria ex suis indiciis instauretur, et ad aliquam doctrinae eruditaeque antiquitatis lucem promatur. Quod cum facere aggredior, de instituti mei ratione ac terminis ante paucis monere oportet.

Atque hîc primum dicendum est, de C. Asinio Pollione duas conscriptas esse dissertationes, orationem unam. Oratio est Joh. Henr. Felsii, de Asinii Pollionis Bibliotheca Romae publicata, Jenae 1713. 4.: dissertatio altera, auctorem habens Petrum Ekermannum, inscripta, de C. Asinio Pollione, exiit Upsaliae, 1745. 4.; altera, ab auctore profecta Chr. Henr. Eckhardi, de C. Asinio Pollione, iniquo optimorum Latinitatis auctorum censore, prodiit item Jenae, 1743. 4. Quas scriptiones cum avide appeterem, eas intellexi in tabernis librariis frustra quaeri. Hi quidem soli fuere Auctores, quos comperimus dedita opera de C. Asinio Pollione exposuisse:

alii

alii eamdem materiem tetigerunt, sed obiter, et fere aliud agentes. In his sunt L. Camarra, de Teate antiquo, L. III. c. 1. 4. 5. in Thes. Antiq. Ital. T. IX. P. V., Joh. Mollerus in Homonymoscopia, Hamb. 1697. Sect. II. C. IV. § 7. p. 357. sqq. J. B. et F. O. Menckenii, pater et filius, in Bibliotheca Virorum militia ac scriptis illustrium, Lips. 1734. § CXCI. p. 360. sqq. D. G. Morhof. de Patav. Liv. C. IV. et G. J. Vossius, de Hist. Lat. L. I. c. 17. p. 26. sqq. de Hist. Graec. L. I. c. 24. p. 102. sq. de Poet. Lat. C. II. p. 237., quos in ipsius disputationis cursu laudavimus. Ab horum autem lectione Scriptorum parum vel nihil adjumenti retulimus. Ad unam alteramve nostrae disputationis partem pertinent alii Auctores, laudati a Chr. Dan. Beckio, Allgem. Welt u. Völkergesch. T. II. p. 334. not. b. p. 342. not. z. et Crusius, von Römischen Dichtern, Th. II. p. 386., quod opus, cui anglice titulus est, The lives of the Roman Poëts, Lond. 1733. 2 voll. 8., germanice vertit Chr. Henr. Schmid, Hall. 1777. 8. Sed fieri nequit, ut omnes omnium recentiorum de hac illâve materiâ compositi libri congerantur, et nos satius esse duximus, ipsos fontes adire, unde et isti sapere debuerunt.

Asi-

Asinium Pollionem Vir quidam doctus, Gallus, M. L. P. de Bugny, sibi sumsit, quem in describenda enarrandaque aevi Augustei historia et indole, velut in scena agentem produceret, edito libro, cui titulus, Pollion, ou le Siecle d'Auguste, Paris. 1808. 4 vol. 8. Ad hujus operis lectionem cum nos dedissemus, mox ita abivimus, ut librum intelligeremus ab auctore ad legentium, eorumque popularium suorum, delectationem conscriptum esse: bonis literis adeo et nobis nihil profuturum. Aliter affectus sum ad inspectionem libri, modo, disputatione mea typis jam consignata, in lucem editi, Mauritii Cornelii van Hall, spectato in omni literarum elegantia judicio Viri, cujus libri titulus fertur, M. Valerius Messala Corvinus, geschetst in eenige Tafereelen uit de Romeinsche Geschiedenis, gedurende zijn leven, Vol. I. In quo opere Celeberrimus Auctor Asinii Pollionis consilia vitae publicae, omnemque indolis ingeniique rationem ita enarrat, ac velut in tabula depingit, ut suam de excellenti Viro sententiam prodat; p. 39, 40. p. 66. sqq. Quae cum nostra opinione, quam variis hujus scriptionis locis enuntiavimus, suisque fundamentis fundare sumus conati, ita prorsus

sus consentit, ut temperare nobis haud potuerimus, quin hoc insigni auctoritatis tamquam praesidio, nostras rationes praemuniremus. Vitam Asinii Pollionis a se conscriptam in schedis servat conspicua Historicus fama, M. Stuartius; quod cognovimus ex Operis laud. M. C. van Hall, p. 192, 193.

Verum haec de iis, qui de argumento nostro scripserunt, sufficiant. Quod disputationem non ita dilatavimus, ut ejus simul finibus complecteremur Asinium Gallum, et reliquos Asinios, ejus rei haec praecipua fuit ratio, quia hujus accessionis nec jucunda futura esset, nec fructuosa tractatio. Videbam enim, horum posterorum historiam tenuibus ac raris vestigiis contineri, et ipsos homines ejusmodi esse, de quibus qui de industria inquireret, vix operae pretium facturus esset. Igitur hujus quoque partis illustrandae consilium, quod primitus agitaveram, postea deposui.

His igitur ita animadversis, jure quodam meo mihi peto, ut apud scriptionis Lectores juvenile opus juvenilis tenuitatis excusationem inveniat.

PARS

PARS PRIMA.

DE ASINII POLLIONIS REBUS UNIVERSE, ET VITA PUBLICA.

Romanorum historia prima gentis Asiniae vestigia habet, bello Marsico sive sociali, ab Herio Asinio, praetore Marrucinorum (1); quorum caput

(1) Livius Epit. L. LXXIII. Audit *Herius Asinius* apud Vellej. II. 16. §. 1., Ἕριος Ἀσίνιος (pro quo Cod. MStus Biblioth. Augustan. habet Ἀσίννιος) apud Appianum, de B. C. I. 40, *Hirnius*, sive, ut reposuit Sigonius, *Hirnus* sive *Hirmus* (rescribente Gronovio *Herius*, quemadmodum et *Herius Petrius* sive *Pettius*, Nolanus Senator., memoratur a Livio XXIII. 43. et in bello Punico II Teatinus *Herius* laudatur a Silio, Punic. XVII. 453. 454.) *Asinius* apud Livium, Epit. laud. *Hierius Asinius* apud Eutropium V. 3. (conf. Delrius ad Liv. Epit. laud.) qui Graeco Eutropii Interpreti (annotante Freinshemio ad Florum III. 18. §. 6.) dicitur Ἵεριος Ἀσιάνιος, vel, ut editio Verheyk. habet Ἱέριος Ἀσίνιος. Scribitur praeterea in veteribus libris aliquando *Hirius*, vid. Delrius

l. l.

put fuit Teate, unde gens orta est (1). Cecidit Herius ipsius belli pene initio, nobili pugna, qua C. Marius Marsos fudit; anno U. C. 663. Liv. Epit. L. LXXIII. Appian. de B. C. I. 46. Plutarch. in Mario p. 424. D. Oros. V. 18. conf. Freinshem. Supplem. Liv. LXXIII. 61. 62.

C. Asinius Pollio (2) patrem habuit Cneum; quod patet ex Fastis Capitolinis, in quibus scribitur, C. ASINIVS. CN. F. POLLIO.; et ex inscriptione apud Gruterum, Corp. Inscript. p. CCCXXVIII. n. 1. ubi legitur C. ASINIVS. CN. F.: Pollionem ve-

l. l. et *Herníus*. vid. Drakenb. ibid. Obert. Gifanius *Hircus Asinius* scribendum suspicabatur. vid. Duker. ad Liv. Epit. laud. Gentile nomen, *Asinius*, Varronis de Re Rust. II. 1. in similibus derivandis auctoritate, cum Sigonio, de Nom. Rom. c. III. et Facciolato in Lex. Latinit. in v. ab asinis ductum esse putamus.

(1) Testimonia collegit L. Camarra, de Teate antiquo, L. III c. 1. in Thes. Antiq. Italiae T. IX. P. V. De Teate et Marrucinis universe, quominus dicendum nobis sit, fecit ejusdem diligentia Camarrae, qui totum hoc argumentum fuse et accurate pertractavit, l. l. L. I et II.

(2) In cognomine *Pollio* variat Librorum scriptura: videndi sunt Servius ad Virgil. Ecl. III. 86. ibique Burmann. et Sig. Havercamp. ad Joseph. A. J. XIV. 14. §. 5. not. *u*. Spanhem. de praest. et usu Numism. Diss. VIII. p. 509. 510. Recta scribendi ratio ducitur ex inscriptionibus et nummis. Inscriptiones in ipso cursu disputationis ponemus. Numismata sunt Sardianorum, Drusi et Germanici Caesarum, apud Morell. in g. Asinia, et in Druso et German. Tab. X. n. 14, 15., inscripta Pollionis nepoti ΓΑΙΩ ΑΣΙΝΙΩ ΠΟΛΛΙΩΝΙ ΑΝΘΥΠΑΤΩ. Conf. Eckhel, Doctr. numm. vet. T. V. p. 144. T. VI. p. 210. sq. Rasche, Lex. rei numm. v. *Asinia*. Nomen gentile, *Asinius*, eodem modo scribitur in nummis Asinii Galli; de quibus vid. Eckhel, l. l. T. V. p. 144. Rasche l.l.

vero Herii fuisse nepotem; cum inde efficitur, quod Pollio filium habuit hujus nominis (1); tum etiam ex temporis ratione, quoniam Herius occisus est, anno, quo diximus, U. C. 663; natusque Pollio anno 678. conf. L. Camarra l. l. L. II. c. 4. Theod. Ryckius ad Tacitum Annal. VI. 23. 2. p. 113.

Pollionem natum comperimus anno U. C. 678, quia C. Catonem accusavit anno aetatis altero et vicesimo (2), L. Domitio Ahenobarbo, App. Claudio Pulchro Coss. (3), quod incidit in annum U. C. 699 (4).

Patrem Cneum, de quo nil praeter nomen tenemus, verosimile est, non diu post bellum sociale Romam migrasse. Certe Pollionis nostri adolescentia celebratur in Catulli carmine XII.

Marrucine Asini, manu sinistra
Non belle uteris in joco atque vino.

Toll

(1) Auctore Seneca Rhetore, Excerpt. Controv. L. IV. Praefat. p. 442. edit. Elsevir. 1672.

(2) Auct. dial. de Orat. c. 37.

(3) Asconius in argumento Orat. Cic. pro Scauro, Oratt. Cic. T. III. P. II. p. 1603. edit. Amstel. 1698.

(4) Sequimur enim hoc potissimum tempore rationes Pighianas. — Ceterum in majori auctoritate acquiescimus; nam diversa est computatio Hieronymi, qui in Chronico Eusebiano Asinium obiisse tradidit anno aetatis LXXX, Mundi MMXX, imperii Augusti XLVII, cujus initium ponit in annum U. C. 710: igitur si ab anno U. C. 756, qui fuit XLVII, imperii Augusti, retro numeremus, Asinius natus esse reperietur anno U. C. 677.

Tollis lintea negligentiorum.
Hoc salsum esse putas? fugit te inepte,
Quamvis sordida res, et invenusta est.
Non credis mihi? crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit. est enim leporum
Disertus puer, ac facetiarum (1).

Anno aetatis altero et vicesimo Pollio, non velut novus civis, sed quasi avitus sibi patriae amor tuendus esset, gravissima actione, C. Catone accusato, cum reip. amantem animum, generosoque juvene dignum spiritum, omnibus probavit, tum eloquentiae dotes ac maturam praestantiam magna cum laude explicuit. Rem hic posuisse sufficiat, de qua accuratius exponemus infra.

Hinc Asinius sub Caesare videtur in Gallia meruisse: mox a duce vetustissimorum familiarium loco habitus, ut ipse scripsit ad Ciceronem, Epist. ad Div. X. 31. Diserta ejus mentio exstat in intimis Caesaris, quibuscum hic, civium libertati interitum allaturus, Rubiconis transitum meditaba-

(1) Joseph. Scaliger, quem secutus est J. F. Corradini ad h. l., in annotatione ad h. l. *Marrucinum* interpretatus est ad convicium stupiditatis, quod ab eo sumsisse videtur Casaub. ad Persei Sat. I. 63. p. 106. edit. Par. 1615. Errorem refutarunt J. Vossius ad Catullum l. l., et, pro gentilium suorum honore fervidius pugnans, Teatinus Camarra l. l. L. III. c. 1. p. 59, 60. Ad ipsum carmen conferenda est J. A. Vulpii annotatio.

batur. Auctor est Plutarchus in Caes. p. 723. D. E. Caesar eo die, quo volebat Rubiconem trajicere, *μικρὸν πρὸ ἑσπέρας θεραπεύσας τὸ σῶμα, καὶ παρελθὼν εἰς τὸν ἀνδρῶνα, καὶ συγγενόμενος βραχέα τοῖς κεκλημένοις ἐπὶ τὸ δεῖπνον, ἤδη συσκοτάζοντος ἐξανέστη, καὶ τοὺς μὲν ἄλλους φιλοφρονηθεὶς, καὶ κελεύσας περιμένειν αὐτὸν ὡς ἐπανελευσομένον· ὀλίγοις δὲ τῶν φίλων προείρητο, μὴ κατὰ τὸ αὐτὸ πάντας, ἄλλον δ' ἄλλῃ διώκειν.* Ad Rubiconem pervectus, multarum magnarumque rerum cogitatione afflictus, *πολλὰ καὶ τῶν φίλων τοῖς παροῦσιν, ὧν ἦν καὶ Πολλίων Ἀσίνιος, συνδιηπόρησεν, ἀναλογιζόμενος, ἡλίκων κακῶν ἄρξει πᾶσιν ἀνθρώποις ἡ διάβασις, ὅσον τε λόγον αὐτῆς τοῖς αὖθις ἀπολείψουσι* (1). conf. Suet. in Caes. c. 31. Appian. de B. C. II. 35. Annus hic fuit U. C. 704, aetatis Asinii 27.

Fugato Pompejo et in Graeciam trajicere coacto, ipse quidem Caesar constituit in Hispaniam proficisci: Curionem propraetorem cum tribus sive quatuor (2) legionibus mittit in Siciliam; quo, post receptam insulam, in Africam protinus traducat exercitum (3). Curioni legati loco datus videtur Asinius Pollio, qui cum parte copiarum praemissus, ad Messinam appellit. vid. Plu-

(1) Monuit me Bake, Vir Cl., pro *ἀπολείψουσι* legendum esse *ἀπολείψουσα*; quo facto, *αὐτῆς* mutandum est in *αὑτῆς*.

(2) Vid. Clark. ad Caes. de B. C. I. 30. not. 1. Davis. ad L. II. c. 23. not. 3.

(3) Caesar de B. C. I. 30. Appian. de B. C. II. 40.

Plutarch. in Caton. min. p. 785. B. C. Ad eum Cato, qui Siciliam provinciam obtinebat, statim mittit, quaesitum, populine an Senatus jussu alienam provinciam invadat; cui Asinius, ab eodem se missum esse, qui Italiam teneat, respondet: nuntians simul de rebus a Caesare gestis, et Pompejo in Graeciam pulso. Ad quem nuntium Cato Pollioni se parem esse dixit, subsequentibus copiis non item: neque velle se insulam bello ferroque perdere. Igitur provinciam victori relinquit, ipse ad Pompejum navigat. vid. Plutarch. l. l. Appian. l. l. c. 40. conf. Cic. ad Att. X. 16. Dio Cass. XLI. 18. 41. His rebus confectis, Curio cum reliquo exercitu in Siciliam pervenit, vid. Caes. l. l. c. 31. unde eodem anno 704, ex mandatis Caesaris, in Africam transit. Caes. l. l. L. II. c. 23. Dio l. l. c. 41. Appian. l. l. c. 44. Huic provinciae praeërat P. Attius Varus, auxilia ferente Juba, rege Mauritaniae. Curio, incredibili fiducia audaciaque, primum res prospere gessit: dein temeritatis gravissimas poenas luit, in communi exercitus sui strage ipse interfectus. Caes. l. l. c. 23 sqq. Appian. l. l. c. 44 sqq. Dio l. l. c. 41. 42. Habuerat enim castra ad Uticam, quam urbem obsidebat: verum, ubi certis auctoribus comperisset, Jubam non longe abesse, relictis munitionibus in castra Corneliana se recepit, bellumque ducere paravit. Quam consilii prudentiam mox deseruit; incertae perfugarum quorumdam fidei temere credens, Jubam revocatum finitimo bello,

re-

restitisse in regno; Saburram, ejus praefectum, cum modicis copiis Uticae appropinquare. Igitur praelio rem committere decrevit, et castris egressus, in ipsius regis exercitum incidit, a quo internecivam cladem passus est, quam pauci tantum ex equitibus, in castra reversi, effugerunt. Caes. l. l. c. 38 — 43. In his fuit Pollio, qui mature ex pugna ad relictas copias se recepit, ne quid Varus, qui Uticae praeërat, oblata calamitatis opportunitate usus, adversus castra moliretur. vid. Appian. l. l. c. 45. Hîc vero ubi nuntius de caeso exercitu percrebuisset, Flamma, praefectus classis, nullo ex terra milite recepto, cum omnibus navibus aufugit. Pollio autem ad negotiatores, qui extra portum in statione stabant, lintre devectus, oravit, ut ad littus appellerent, relictosque milites servarent: qua de re nonnullis persuasit, ut noctu adveherentur. Verum paucis hoc salutis praesidium profuit: cum enim sibi quisque consuleret, tanta erat completis littoribus contentio, qui potissimum ex magno numero conscenderent, ut multitudine atque onere nonnulli deprimerentur, alii arcerentur, ceteri, metuentes, ne in ipsa vitae servandae festinatione perirent, propius adire deterrerentur. His itaque nil reliquum fuit, nisi ut Varo sese dederent. vid. Appian. l. l. c. 46. Caes. l. l. c. 43. Dio l. l. c. 42. Liv. Epit. L. CIX.

Ex hac universa totius exercitus calamitate, quo se primum Pollio receperit, nullis auctoribus con-

stat:

stat: certius compertum est, eum postea Caesarem in Graeciam secutum fuisse: nam praelio Pharsalico, quod factum est anno U. C. 705, inter Caesarianos duces praefuit. vid. Plutarch. in Pompejo, p. 657. E. conf. in Caes. p. 730. A. B. Appian. l. l. c. 82. Suet. in Caes. c. 30.

Annus sequens 706 ex castris Asinium revocavit ad magistratum in urbe gerendum. Post pugnam enim ad Pharsalum, Caesar Dictator, cum esset Alexandriae (1), M. Antonium Magistrum Equitum dixerat, quem jam ante Romam miserat, ubi se absente res administraret. vid. Cic. Philipp. II. 25. Dio XLII. 21. 27. XLV. 28. XLVI. 13. Liv. Epit. L. CXIII. Appian. l. l. II. 92. (2). Quo

(1) Cic. Philipp. II. 25.

(2) Igitur ad horum auctoritatem scriptorum Plutarchi sive fides sive scriptura corrigenda est, tradentis in Antonio p. 919. D. Καῖσαρ μετὰ τὴν νίκην (ad Pharsalum) δικτάτωρ ἀναγορευθεὶς, αὐτὸς μὲν ἐδίωκε Πομπήϊον· Ἀντώνιον δὲ δήμαρχον ἑλόμενος εἰς Ῥώμην ἔπεμψεν. ἔστι δὲ ἡ ἀρχὴ, δευτέρα, τοῦ δικτάτωρος παρόντος· ἂν δὲ μὴ παρῇ, πρώτη καὶ μόνη σχεδόν. ἡ γὰρ δημαρχία διαμένει, τὰς δὲ ἄλλας καταλύουσι πάσας δικτάτωρος αἱρεθέντος. Videtur autem, ut in quibusdam Codd. invenitur, legendum esse pro δήμαρχον, ἵππαρχον, cum ob historiae veritatem, tum quia conjungitur cum mentione Dictatoris, cui statim dicendus erat Magister Equitum. Porro vult h. l. declarare Plutarchus, quanti Antonium Caesar fecerit; cujus rei sane non amplissimum testimonium est Tribunatus: Tribunus enim et collegas habebat, ejusdem honoris participes, nec de rei summa ea dignitate statuere poterat, ut alter esset a Dictatore: unde h. l. multo aptior est mentio Magistri Equitum. Videtur autem δήμαρχον in textum irrepsisse ob sequentia, ἡ γὰρ δημαρχία etc. At videtur tota haec periodus unice ad explicandum vocabulum σχεδόν com-

Quo tempore Dolabella, tribunus pl., legem tulit de novis tabulis. Plutarch. in Anton. p. 919. D. Dio XLII. 29. Liv. Epit. laud. Dolabellae adversabantur L. Trebellius, item Tribunus pl., et Asinius Pollio, causam tuiti creditorum. Plutarch. l. l. E. Antonius vero τοὺς περὶ Ἀσίνιον δεξάμενος, ἐπολέμει τῷ Δολοβέλλᾳ. Plutarch. l. l. Hîc facile quis suspicetur, Asinium ceterorum collegam in Tribunatu fuisse, quamquam diserta mentio nulla extet. Verum aliter jubere videtur auctoritas Velleji, II. 73. §. 2, qui adversus Sextum Pompejum testatur Pollionem Asinium *praetorium* in Hispania clarissimum bellum gessisse. Dio autem L. XLV. c. 10, Pollionem tradidit praefectum fuisse Baeticae, relictisque ibi a Caesare copiis: ita tamen, ut, cum initio Carinas imperium in his regionibus habuisset, huic a Caesare successor datus fuerit Asinius Pollio, superstite adhuc Caesare in provinciam profectus; uti patet ex Appiano l. l. IV. 83, 84.: quod adeo iter suscipere debuit ineunte anno 709, quo Dictator Idibus Martiis occiditur. Igitur si eo tempore Pollio praetorius dici potuit, praetor fuit sive anno 706, sive 708, nam anno 707 comita-

composita esse: *absente Dictatore, Magistri Equitum magistratus primus est, et fere solus; nam Tribunatus manet: ceteri vero, praeter* ἱππαρχίαν *et Tribunatum, magistratus, creato Dictatore, abdicantur omnes.* conferendus est locus in Fab. Max. p. 179. D. Sic et multo melius cohaerent, quae mox sequuntur, οὐ μὴν ἀλλὰ τότε δημαρχῶν Δολοβέλλας, νέος ἀνὴρ etc.

tatus est Caesarem in Africam. Anno 706, Dio XLII. 27. scribit, neque Consulem, neque Praetorem ullum fuisse: quod intelligendum est de ejus anni parte priori: nam reversus Caesar Dictaturam deposuit, et in reliquam anni partem Consules, reliquosque magistratus creavit, auctore ipso Dione, l. l. c. 51. 55. Unde colligitur, si verosimile non sit, Pollionem privatum Dolabellae Trebelliique dissensionibus se immiscuisse, eum, cum seditionis tempore nec praetor esse potuerit, quia nullus erat, probabiliter hoc anno Tribunum pl., anno 708 Praetorem fuisse; ex quo magistratu statim in provinciam abierit.

Anno 707 Caesar reliquias Pompejanae factionis in Africa persecutus est. In quo bello, commeatus inopia, copiarumque, quas ex Sicilia arcessiverat, morâ, initio fortunâ usus est solitâ tardiori. Ita aliquando factum est, ut otiarentur Caesariani equites, saltu cantuque ad tibiam alicujus Libyes oblectati, quorum segnitie animadversâ hostes, impetu facto, alios obtruncant, alios in castra refugientes secuti, uno agmine irrumpunt. Quodnisi Caesar, et cum eo Pollio Asinius, ex castris suppetias ferentes, fugam repressissent, de exercitu actum fuisset. vid. Plutarch. in Caes. p. 732. E. Optime vero Caesar expeditionis socium sibi adjunxit Pollionem, qui ex ante gesto in eadem regione bello, usu et locorum hostiumque notitia praestabat.

Annus 708, si verisimilibus fidendum sit, Asinium

nium: habuit praetorem urbanum: nam quod eum Manutius ad Cic. Epist. ad Div. X. 31. affuisse perhibet Caesari, hoc eodem anno bellum in Hispania gerenti, id nulla auctoritate munivit: neque ex Suetonio in Caes. c. 55. probari potest (1).

Deposito magistratu, Asinius adversus Sextum Pompejum in Hispania ulteriori *clarissimum bellum* gessit: asserente Vellejo II. 73. §. 2. Verum hanc a Vellejo tributam Pollioni laudem non confirmant Appianus et Dio Cassius. Appianus quidem Pompejum tradit, post Caesaris ex Hispania discessum, paulatim virium incrementa cepisse ex partium profligatarum reliquiis, ac gentium, magno ipsum favore prosequentium, auxilio: quibus auctum praesidiis eum expeditioribus suis copiis Carinatem, subito saepe incursando, protinusque avolando, fatigasse; l. l. c. 83: jamque etiam oppidis nonnullis potitum fuisse: bellum autem cum Asinio deinceps eadem ratione continuatum esse. ibid. c. 84. Dio minus

(1) Apud Morell. in Numm. Consul. Tab. VIII. n. 22. nummus est, qui in anticâ, cum capite Apollinis radiato, nomen habet inscriptum, POLLIO; in posticâ, C. ASINI. CN. F. Eum Vaillantius putavit cusum fuisse a Pollione, cum unus e quatuordecim praetoribus a Caesare crearetur. vid. Sig. Havercamp. in Commentar. ad Numm. Cons. p. 513. conf. Rasche, in Lex. rei numm. v. *Asinia*, n. 7. Sed ductus nummus est ex Goltzio in Fastis, p. 189, ad a. U. C. 713: Goltzianis autem ex hoc genere nummis nullam omnino fidem habendam esse, docuit Eckhelius, Doctr. numm. vet. T. I. Prolegom. p. CXLI. sqq. imprimis p. CXLV. sqq.

nus etiam honorifice Asinii res gestas prodidit: de quibus in hunc fere modum retulit. Caesar postquam in Italiam rediisset, exercitu non magno in Baetica relicto, Lacetani, atque ii, qui ex clade supererant, cum Sexto se conjunxerunt. Cum his Pompejus in Baeticam, cui bellum commodissime inferri posse judicabat, regressus, milites in ea regione et urbes, alias deditione, alias vi recepit: idque eo facilius, quod Caesar jam sublatus erat, nihilque virium praefectus provinciae C. Asinius Pollio habebat: quibus factis ad Carthaginem arma convertit. Pompeji absentia usus Pollio, quaedam loca infestat: igitur reversus Sextus valida cum manu, praelio cum Pollione commisso, eum quidem fugat; reliquos fortiter pugnantes casu quodam terret ac vincit. Asinius enim, quo facilius in fuga lateret, paludamentum abjecerat; alius vero quidam ex equitibus praecipuus, cognominis Pollioni, ceciderat. Ita cum alterius paludamentum in hostium venisset potestatem, alter occubuisset, militesque alterum vidissent, alterum audivissent, in eum errorem delabuntur, ut ducem suum caesum credant; itaque cedunt. Sextus, ea victoria potitus, totam fere eam regionem obtinet. Dio XLV. 10.

Hoc qui *clarissimum bellum* vocet, is videat, quid sit male et cum ignominia rem gerere. Quod vero Dionis potissimum auctoritati fidem adhibeamus, imprimis facit Sextianae potentiae, quamvis reprimente Pollione, brevi temporis spatio incredibi-

biliter auctae magnitudo. Habuit enim paulo post mortem Caesaris sex legiones in ulteriori Hispania, unam ad Carthaginem. vid. Cic. ad Att. XVI. 4. Nec profecto Lepidus, qui adventaverat citeriori Hispaniae praefuturus, Pompejum in gratiam reducere cum Senatu studuisset, nisi adversarii potestatem extimuisset: neque Antonius Romae Sexti causae favisset; vid. Dio l. l. Cic. Philipp. V. 14. 15. XIII. 4: neque ipse Sextus, nisi pari ad se tuendum robore nixus, eam pacis conditionem Senatui ponere potuisset, ut omnes exercitus, qui ubique in armis essent, dimitterentur, ipseque in bona paterna restitueretur. vid. Cic. ad Att. l. l. Inter Lepidum et Pompejum in id pactum convenerat, ut hic, si Senatus conditionem accepisset, Hispania excederet, vid. Dio XLVIII 17.; cui statim satisfecit, ipse paulo post orae maritimae a Senatu praefectus, eadem potestate, quam pater habuerat. vid. Dio XLV. 10. Appian. l. l. c. 84. Vellej. II. 73. § 2.

Quibus ita confectis, Asinius cum minoribus copiis, provinciam a multo validioribus Sextianis, quocunque tandem modo, tuitus, hoste liberatus, securius habuit imperium.

Ex provincia tres scripsit ad Ciceronem epistolas: duas, antequam de victoria ad Mutinam reportata ipsi innotuisset; tertiam postea. Prima est in Epist. ad Div. epistola XXXI; altera, ibid. epistola XXXII; ultima, epistola XXXIII.

Post cladem Mutinensem Antonius, literis ad

Asinium, Lepidum, et Plancum missis (1), trans Apenninos Alpes cum exercitu petebat: quo cognito consilio, Senatus Lepido in Hispania citeriori, et Planco in Gallia ulteriori, Asinioque scripsit, ut Antonium, simulatque in ejus vicinias venissent, adorirentur: vid. Appian. l. l. III. 74. Scilicet in horum triumvirorum dubia alioquin erga Senatum fide, jam firmior praesidii spes ponebatur, afflicto post rem male gestam Antonio: quo prosperis etiamnum rebus florente, cum Romam reliquisset, Decimum ex provincia ejecturus, iidem omnibus videbantur secuturi partes Antonii. vid. Appian. l. l. c. 46. Quamquam Dec. Brutus, post depulsum de Mutina Antonium, in eodem adhuc metu versabatur: uti patet ex ejus epistola ad Ciceronem, ad Div. X. 9.

Etenim non reputabatur, in conquassatâ semel republicâ, et a legum reverentia, tamquam radicibus, avulsâ, quanto major rerum novarum, suaeque dignitatis, quam veteris ordinis cupido hominum mentes soleat occupare: quantoque potentior, hoc rerum statu, vis sit unius seditiosi, quam obsoletae et umbratilis auctoritatis. Neque Asinius eam ob causam, quod Antonio fugiendum fuisset, continuo in partes transiit Optimatium, quos videbat suae potius factionis, quam reip. fundamenta moliri. Denique Antonii calamitas, Octaviani praesertim parta auxilio, ne in ma-

(1) Vid. ad Div. XI. 11.

majus emolumentum cederet Aristocraticae factionis, ejusdem Octaviani, qui ad hoc usque tempus mirum Senatus studium simulaverat, impedivit calliditas. Hic enim, cum sentiret se ex defensâ Senatus auctoritate id, quod voluerat, profecisse, ut Antonius eum ex puero factum virum, ex inferiori aemulum et aequo parique jure potentem intelligeret, sensim apertius consilii rationem explicuit. Accedebat Senatorum post accepta beneficia adversus Augustum suspicax imprudentia, et quem ante in coelum tulerant, ejusdem nunc invidia et contemtus. Vid. Dio XLVI. 40. sqq. Appian. de B. C. III. 80. Vellej. II. 62. Suet. in Aug. c. 12. Igitur paulatim ab Optimatibus deflexit, nec tamen protinus Antonium in societatem adscivit: id agens primum, ut Antonius adversarium ipsum timeret, nec quidquam se efficere posse speraret, nisi socio Octaviano. Antonio ipsi nihil significans, Lepido scripsit et Asinio, quorum sciebat propensos esse in Antonium animos. Scribit de contumelia sibi ab adversae factionis principibus illata, deque Caesaris percussoribus omni honore affectis: metum Lepido Asinioque injiciens, ne, Pompejanarum machinatione partium, singulis Caesarianis idem accidat, quod Antonio, qui per imprudentiam et hujus ejusdem metus contemtum in hanc calamitatem inciderit. Monet denique, ut specie quidem obtemperent Senatui, sed suae securitatis gratia inter se conspirent, dum liceat, et haec An-

to-

tonio exprobrent. vid. Appian. l. l. c. 81. Planco nihil scripsit, quem noverat, ubi tempora ferebant, magis Senatui, quam Antonio, favere; et insuper inimicum Lepidi. Lepidus autem, Octaviani monitis parens, cum Antonio, Alpes transgresso, se conjunxit (1); Plancus ad Dec. Brutum se contulit (2). Interea Caesar ad consulatum extorquendum Romam venit cum exercitu (3); et alia cogit, tum etiam, ut quaestio habeatur in eos, quorum operâ C. Caesar occisus esset (4); et ut antiquentur Senatusconsulta, quibus Antonius Lepidusque hostes fuerant judicati (5).

His ita factis, Antonius sibi relictum Decimum persequitur, a cujus societate Plancum statim fortunae iniquitas abalienat. Itaque dubiâ semper, id est, sua fide, ac sibi difficile consentiens, libenter se passus est cum Antonio conciliari, opera Asinii Pollionis (6), qui, relicta provincia, in

(1) Vid. Appian. l. l c. 83. 84. Plutarch. in Anton. p. 923. D. E. Vellej. II. 63. §. 1. 2. Cic. ad Div. X. 23. Dio XLVI. 50. 51.

(2) Cic. ad Div. l. l. epist. 24. XI. 15. Dio l. l. c. 53. Vellej. l. l. §. 3.

(3) Dio l. l. c. 43. sqq. Appian. l. l. c. 88. sqq. Liv. Epit. L. CXIX.

(4) Appian. l. l. c. 95. Dio l. l. c. 48. 49. Plutarch. in Brut. p. 996. C. D. Liv. Epit. L. CXX.

(5) Appian. l. l. c. 96. Dio l. l. c. 52.

(6) Appian. l. l. c. 97. Vellej. l. l. §. 3. c. 64. §. 1. Dio l. l. c. 53. Plutarch. in Anton. p. 923. F.

in Galliam profectus, duas legiones suas Antonio tradidit (1).

Secutus est M. Lepidi, M. Antonii, C. Caesaris Octaviani triumviratus, renuntiatus ex V. Calend. Decembr. anno U. C. 710. vid Pigh. Annal. ad d. a. Ab iis statim urbani magistratus annui in quinquennium designati sunt (2); in quibus Asinius Pollio Cos. in annum 713. Sic Asinius non tutus modo a Triumviris, sed etiam auctus honore, domum tamen suam a proscriptionis furore, qui mox incubuit, tutam immunemque praestare non potuit. Ex proscriptis enim tertius et quartus erant necessarii designatorum in sequentes annos (3) Consulum, frater Planci Plotius, et Asinii socer L. Quintius (4): cum Plancus et Asinius in alia tabella juxta positâ Consules nuntiarentur. vid. Appian. l. l. c. 12. Hos autem viros scribit Appianus ibid., non solum ob dignitatis praestantiam ante alios esse positos; sed praesertim ad incutiendum timorem, spemque adimendam, ne quis liberare quempiam posse speraret. L. Quintius forte idem fuit Ciceronis familiaris, ad Att. VII. 9. vid. Schweigh. ad Appian.

(1) Vellej. l. l. c. 63. § 3. Appian. l. l. c. 97.

(2) vid. Appian. l. l. IV. 2.

(3) Nam ita verba capienda sunt Appiani, l. l. c. 12. τῶν — ἐς τὸ μέλλον ὑπάτων. Quamquam ejusdem Appiani error notandus est, tradentis c.27. Quintum in fuga periisse, τὸν Ἀσινίου τοῦ ὑπατεύοντος τότε πενθερὸν.

(4) Sic enim scribendum esse, ex Appian. l. l. c. 12 et 17. jure effecisse videntur Freinshem, in Supplem. Liv. CXX. 56. et Schweigh. ad Appian. T. III. p. 828.

pian. l. l. T. III. p. 828. et Auctt. ab eo laudd. In fuga periit, auctore Appiano l. l. c. 27. Ipsi Asinio Antonii amicitia praesidio fuit: nam Octaviano non eadem gratiâ acceptus erat: a quo scriptis fescenninis mordebatur. Macrob. Saturn. II. 4. *Temporibus*, inquit, *triumviralibus Pollio*, *cum fescenninos in eum Augustus scripsisset*, *ait*: a t e g o t a c e o: n o n e n i m f a c i l e i n e u m s c r i b e r e, q u i p o t e s t p r o s c r i b e r e.

Antonium Pollio in Italiam secutus esse videtur: cumque in partitione provinciarum inter Triumviros Antonius obtinuisset reliquas Gallias, praeter Galliam Narbonensem (1), Transpadanae provinciae, aut universae Galliae Cisalpinae praefecit suum Asinium (2); Galliae Transalpinae Q. Fufium Calenum ac Ventidium (3). Quoniam autem inter Triumviros convenerat octodecim Italiae urbes cum agris in milites dividere (4), Pollio in provincia sua item praeerat agris dividundis (5); cujus favore suos Virgilius non amisit, quippe quos facta distributione sive Claudio sive Arrio datos recuperavit (6).

In

(1) auctor est Appian. l. l. c. 2.

(2) Vid. Donat. Vit. Virg. § 36. Serv. ad Ecl. II. 1. conf. Martin. life of Virg. p. XLIII.

(3) Dio XLVIII. 10.

(4) Appian. l. l. c. 3.

(5) Serv. l. l.

(6) Donat. l. l. Serv. in Proleg. ad Aeneid. L. I. unde Pollio *intercessor* pro Virgilio apud Augustum, dicitur a Servio ad Ecl. IX.

In hoc imperio quietus mansit, donec bellum Perusinum exardesceret, in quo solitâ Antonium fide coluit. Reverso enim post fractas Brutianas Cassianasque partes Caesari ex Graecia in Italiam, omnibus modis adversantur L. Antonius Cos., M. Antonii frater, et impotens mulier Fulvia. Quibus apta belli materies visa est agrorum inter veteranos divisio, cui Caesar ex pacto praeerat. Igitur et veterani, et qui agros amiserant, ad arma in Caesarem concitantur. Antoniani autem duces, Ventidius, Pollio, Calenus, Plancus, statim ad Antonii res tuendas, vimque Caesari inferendam se parare: inter quos in Gallia Cisalpina Asinius Salvidienum, a Caesare in Hispaniam missum, transitu Alpium arcet, adjuvantibus in Gallia Transalpina Caleno ac Ventidio. vid. Dio XLVIII. 10. Erumpens bellum in breve tempus reprimunt duces legionum, controversiae arbitri, positis, quibus Lucius cum Caesare in gratiam redeat, conditionibus; inter quas erat, ut Alpes missis a Caesare in Hispaniam pateant, neque Asinius Pollio eos amplius prohibeat (1): quo facto Salvidienus Alpes superat (2). Sed poterant discordiae igniculi tegi, restingui non poterant,

IX. 11. Pollionis item hortatu Virgilium Bucolica scribendi consilium suscepisse, ac triennio perfecisse, Grammaticorum est traditio. vid. Serv. in Proleg. ad Aeneid. L. I. Donat. l. l.

(1) Appian. l. l. V. 20. conf. Dio l. l.

(2) Appian. ibid.

rant, nisi post commune totius Italiae incendium. Revocatur Salvidienus ex itinere in Hispaniam: cui obviam procedit Lucius, imminentibus Salvidieni tergo Asinio ac Ventidio. vid. Appian. l. l. V. 31. Sed in quas angustias Antonius compellere studebat Salvidienum, ipse compellitur ab Agrippa: ex quibus ut se expediat, Perusiam se recipit, ibi Asinium Ventidiumque exspectaturus. Appian. l. l. c. 31, 32. At Perusia statim obsidetur a Caesare, Agrippa et Salvidieno, tribus simul exercitibus: Asinio Ventidioque adventantibus, aliae copiae, quae ab obsessis arceant, opponuntur. Quamquam Asinius et Ventidius ne per se quidem admodum properabant: quod nec bellum id probarent, et incerti essent de mente M. Antonii: quo accedebat inter ipsos duces aemulatio, dignitate pares, ut neuter alteri cedere imperio totius exercitus vellet. Lucius autem, obsessus, aliquoties ad eos misit, qui urgerent, ut urbi subveniretur: ipse, eos exspectans, intra moenia se tenuit. vid. Appian. l. l. c. 32. Tandem missus a Fulvia in Lucii auxilium Plancus, et ab eodem permoti Asinius ac Ventidius, ut quamvis segniter, quippe de Antonii voluntate dubitantes, propius accederent, ad liberandam Perusiam vi perrupturi. Hos Caesar, relicta obsidione, obviam profectus, cogit, antequam se conjunxissent, cedere; ut alter Ravennam, alter Ariminum, Plancus Spoletium se recipiat. Contentus Caesar copias suas ita disposuisse, ut alterum

ab

ab altero secludat, nec coire sinat, Perusiam revertitur. Appian. l. l. c. 33. Ne tamen Lucium prodidisse viderentur, iterum constituerunt Antoniani duces ad sublevandos obsessos per hostium aciem eniti: quod consilium impeditum est adventu Agrippae et Salvidieni, qui eos, si ulterius vellent adversus Caesarem progredi, circumvenire parabant. Appian. l. l. c. 35. Igitur Lucio sibi relicto, capitur Perusia ac diripitur, anno U. C. 713: cujus initio anni Pollioni consulatus fuerat ineundus. vid. Appian. l. l. c. 46 sqq. Dio XLVIII. 15. Vellej. II. 74. § 4.

Confecto bello Perusino, Caesar reliqua etiam Italiae oppida partim vi, partim deditione recepit. Dio l. l. c. 15. Fulvia ex Italia in Graeciam trajecit, et Plancum habuit muliebris fugae comitem. Appian. l. l. c. 50. Dio l. l. Vellej. II. 76. § 2. Alii item Antoniani duces ex fuga salutem quaesiverunt; alii in Antonii fide causaque tuenda constantissime perseverarunt: in quibus principes, Asinius, Ventidius ac Calenus. Desertum a Planco exercitus imperium Ventidius suscepit. Calenus, in quo, magnis copiis instructo, firmissimum quisque ponebat Antonianae factionis praesidium, ex Italia ad Alpes in provinciam reversus est. Idem fecisse Asinium probabile est. At vero Caesar, quoniam bellum cum M. Antonio, trajicere in Italiam paranti, vix evitari posse videbatur, voluit suam potestatem ante in Italia stabilire, neque intus obsideri, cum extrinsecus hostis im-

mineret. Igitur avide arripuit opportunitatem mortis Caleni, ad Galliam occupandam, Fufio, Caleni filio, per metum omnia tradente sine certamine. Sic Caesar undecim legionibus simul et provinciis amplissimis potitus, praefectos amovit, et ex suis amicis substituit in eorum locum alios. Appian. l. l. c. 51. Dio l. l. c. 20. Hac Galliae occupatione videtur factum, ut Asinio cedendum esset de sua provincia, et relinquenda ea invadenti cum auctis copiis Caesari. Versabatur enim hoc eodem tempore in propinquo, orbatisque duce legionibus contra Caesarem erat usurus: uti patet ex Appiano l. l. c. 61. Nonnulla autem Serviani ad Virgilium commentarii loca, ad Ecl. VI. 6. IX. 11. 29., docent, fuso fugatoque Asinio Pollione, ab Augusto Alfenum Varum (1) legatum substitutum fuisse, qui Transpadanae provinciae agrisque dividundis praeësset. Quod si hac potissimum occasione contigisse putemus, vaga traditio optime cum historiae auctoritate conjungetur (2). Interea Pollio jam Domitium Ahenobarbum, qui post exstinctos Philippensi praelio Brutum et Cassium, cum magna classe in mari Ionio vagabatur (3), ad amicitiam pertraxerat Antonii; qua de re ambo certiorem illum per literas fecerunt; eidemque, mox in Ita-

(1) de quo vid. Heyn. in Excurs. II. ad Bucolica.

(2) Hinc consecutio intelligitur rerum ac vicissitudinum, quas Heynius in Vit. Virg. ad a. 713. reliquit ordinandas.

(3) Vid. Appian. l. l. c. 26. Dio l. l. c. 7.

Italiam adventuro, loca opportuna, quo exscenderet, parabant, et commeatus expediebant. Appian. l. l. c. 50. Antonius vero, ex Graecia vela faciens, appulsurus erat ad unum alterumve locum Italiae inferioris; igitur huc Asinius, Antonium petens (1), unàque classis Domitii, descendisse debuit (2): quas in inferioris Italiae factas excursiones Antonianis dein exprobrarunt Caesariani. vid. Appian. l. l. c. 59. Mox secutus est adventus Antonii, ac pro bello principum reconciliatio; in qua insignis fuit Asinii opera: de qua priusquam exponamus, cursus rerum ante gestarum diligentius est replicandus.

Vellejus II. 76. § 2, 3. *Pollio Asinius*, inquit, *cum septem legionibus, diu retenta in potestate Antonii Venetia, magnis speciosisque rebus circa Altinum, aliasque ejus regionis urbes editis, Antonium petens, vagum adhuc Domitium, quem digressum e Brutianis castris post caedem ejus praediximus, et propriae classis factum ducem, consiliis suis illectum, ac fide datâ, junxit Antonio. Quo facto, quisquis aequum se praestiterit, sciat non minus a Pollione in Antonium, quam ab Antonio in Pollionem esse collatum.* Venetiam Pollio diu

(1) Vellej. II. 76. § 2.

(2) Ahenobarbi Antoniique classes postquam se conjunxerant, ad Palo̊enta appulerunt, *ubi erant Ahenobarbi terrestres copiae;* ibique Antonio Ahenobarbus suo cessit tentorio. Appian. l. l. c. 55.

diu in Antonii potestate retinuisse cogitandus est contra arma Caesaris, qui jam belli Perusini temporibus perpetuo has terras infestabat. conf. Dio l. l. c. 20. Quas autem magnas speciosasque res Asinius circa Altinum aliasque ejus regionis urbes edidit, eas gessit adversus incolas duros, bellicosos, nec facile subigendos. Incidit in hunc locum narratio, cujus auctoritas est penes Macrobium, Saturn. I. 11. *Asinio*, ait, *Pollione acerbe cogente Patavinos, ut pecuniam et arma conferrent, dominisque ob hoc latentibus, praemio servis cum libertate proposito, qui dominos suos proderent; constat, servorum nullum victum praemio dominum prodidisse. Audi in servis non fidem tantum, sed et foecundum bonae inventionis ingenium. Cum premeret obsidio Grumentum, servi relicta domina ad hostes transfugerunt. capto deinde oppido, impetum in domum, habita conspiratione, fecerunt, et extraxerunt dominam, vultu poenam minante, ac voce obviis asserente, quod tandem sibi data esset copia, crudelem dominam puniendi: raptamque quasi ad supplicium obsequiis plenis pietate tutati sunt.* Idem ingeniosae fidei exemplum consignavit Seneca, de Benef. III. 23. *Claudius Quadrigarius in duodevicesimo Annalium tradidit, cum obsideretur Adrumentum, et jam ad summam desperationem ventum esset, duos servos ad hostem transfugisse, et operae pretium fecisse. Deinde, urbe captâ, passim discurrente victore, illos per nota*

iti-

itinera, ad domum, in qua servierant, praecucurrisse, et dominam suam ante se egisse: et, quaerentibus, quaenam esset, dominam, et quidem crudelissimam, ad supplicium ab ipsis duci, professos esse. Eductam deinde extra muros, summa cura celasse, donec hostilis ira consideret. Unum eumdemque ab utroque scriptore casum spectari, in aperto est: igitur Lipsius ad Senec. l. l. aliique, apud Senecam ex Macrobio reponunt *Grumentum*, quod est Lucaniae oppidulum. vid. Plin. H. N. III. 11. Liv. XXIII. 37. XXVII. 41. Strabo L. VI. p. 254. edit. Amstel. 1707. p. 390. B. Cellar. Not. O. A. L. II. C. IX. Sect. IV. § 618.

Quod autem Macrobius Asinium Pollionem acerbe coëgisse Patavinos refert, id procul dubio pertinet ad Pollionem nostrum, cum is Galliae Cisalpinae praeësset: Patavinis praesertim, ut cognoscitur ex Cic. Philipp. XII. 4., in Antonium ejusque factionem exasperatis. Sed difficultas oritur, si sequentia ita sint interpretanda, ut item de Asinio, Grumentum obsidio premente, sermo sit: quoniam per temporis rationem Claudius Quadrigarius, unde hujus auctoritas narrationis desumta est, de Asinio Pollione scribere non potuit. Aequalis enim fuit Sisennae ex Vellejo II. 9. § 5., interjecto inter aetatem Sulpicii et Hortensii, auctore Cic. in Brut. c. 64. conf. Voss. de Hist. Lat. I. 10. Schweigh. ad fragm. Appiani de rebus Gall. T. III. p. 172, 173. Praeterea Quadrigarius in

duodevicesimo (1) Annalium libro, quoad cursum filumque operis ex fragmentis assequi licet, complexus est belli socialis historiam, in qua Asinio Pollioni locus esse nequit. Fuit autem hoc bello urbs Grumentum frequenter praelio, caedibus, obsidione vexata: vid. Florus III. 18. § 11. Appian. l. l. I. 41.: unde casum a Macrobio et Seneca commemoratum, probabiliter ad haec tempora retulit Freinshem. in Supplem. Liv. LXXIII. 22, 23. Verum ne dicendum sit, a Macrobio duos Asinios confundi, nepotem et avum, alteram, quae praesto est, explicandi loci rationem amplectimur, ut vocem *obsidio* positam esse casu recto statuamus, omnemque adeo cujuscunque Asinii mentionem e posteriori loci parte ejiciamus. Cujus interpretationis fundamentum est apud Senecam l. l., qui urbem significat a Romano milite direptam fuisse. Sed in viam revertamur.

Antonio Brundusium obsidente, rerum facies externa videbatur ad bellum spectare: unde tamen interius perspicienti magna componendae gratiae spes elucescebat. Sexti enim Pompeji, quem uterque principum odio habebat, potentia effecit, ut eum ambo intelligerent praepotentem fore, cui Pompejus opem tulisset: igitur hujus metu periculi factum est, ut neuter bellum vellet, superstite Sexto, ad quem opprimendum conjunctis viribus opus esse videbant. Eadem de causa, priusquam

(1) quam lectionem tuetur Juretus ad Senec. l. l.

quam de imperii summâ inter Caesarem et Antonium certaretur, Lepidus erat dimovendus. Denique bellum hoc potissimum tempore cum Antonio, alienum erat a consiliis Octaviani: quod eo plus auctoritatis habet, quo majus fuit Octaviani, quam Antonii, in omnis hujus aetatis rebus ad certum quemdam exitum dirigendis momentum. Caesar enim, virtute militari Antonio impar, consiliorum magnitudine, calliditate, providentiâ, multo major, a quo tempore primum ad remp. accessit, finem et extremum, quo omnia referret, apud animum constituerat, suum unius imperium. Hanc cogitationem, cujus insolentiam Antonius, si concipere potuit, tenere ac persequi, eique cetera omnia subjicere non potuit, Caesar constantissime est tuitus. Hic igitur intelligebat, se tempore belli Brundusini partium suarum robur nondum satis firmasse ac stabiliisse, sibique pondus defore ac vires, si nunc jam ab Antoniani nominis societate, cujus auxilio plura adhuc praesidia sibi paranda erant, deficeret. Itaque se facile passus est cum aemulo conciliari: quod prudentia Cocceji, et exercituum desiderio perfectum est. Etenim ducum animis, opera Cocceji, jam ad quemdam aequi bonique consensum inclinatis (1), exercitus ex Antonianis Pollionem, e Caesarianis Maecenatem elegerunt, qui adhibito Coccejo, communi utriusque principis amico, mutuas querelas non judicarent,

(1) vid. Appian. l. l. V. 60—64.

rent, sed reprimerent, ac pace componerent. Quo facto decreta est praeteritarum oblivio offensarum, et amicitia in posterum. Ut tamen haberet consensus, quo niteretur, postularunt pacis auctores, ut Caesar sororem suam Octaviam, viduam Marcelli, Antonio collocaret: in quam conditionem mox conventum est. vid. Appian. l. l. c. 64. Dio XLVIII. 29. 31. Vellej. II. 76. § 3. Liv. Epit. L. CXXVII. Plutarch. in Anton. p. 929. C. D. E.

Consulatum Asinius ne obiret, ad hoc usque tempus prohibuerant bellorum tumultus, et incorrupta Consulis erga Antonium fides. Gessit autem hunc magistratum hoc eodem anno 713, cum Cn. Domitio Calvino II. Qua de re constat ex Fastis Capitolinis, in quibus scribitur, CN. DOMITIVS. M. F. M. N. CALVINVS. II. C. ASINIVS. CN. F. POLLIO. Chronicon ἀνώνυμον, quod primus On. Panvinius Fastos Siculos appellavit, editumque est a Jos. Scaligero cum Eusebio, (conf. Scaliger in Animadv. ad Euseb. p. 207.) habet Ol. CLXXXV. a. I. ΚΑΛΒΙΝΟΥ καὶ ΠΟΥΛΛΙΩΝΟΣ: confuso ceteroquin rerum ordine. Excerpta sunt in T. II. Annal. Pigh.; in quibus, a Schotto emendatis, legitur, Καλβίνου καὶ Πολλίωνος. In Eusebii Chronico Canone Graeco, a Jos. Scaligero restituto, p. 183. ad eamdem Ol. CLXXXV. a. I. Consules notantur ΓΝ. ΔΟΜΙΤΙΟΣ. Γ. ΑΣΙΝΙΟΣ. Cassiodorus in Chron. edit. Onuph. Panvin. p. 40. *Cn. Domitius et C. Asinius.* In Tabulae Colotianae fragmento apud Gruter. Corp. Inscript.

p. CCXCVIII. n. 1. et Pighium, Annal. ad a. 713. T. III. p. 484. inscriptio legitur,

CN. DOMITIVS. M. F. C. ASINIVS. CN. F. SVF. L. CORNELIVS. L. F. SVF. P. CANDIDVS. P. F.

Porro aliud est apud Gruter. l. l. p. C. n. 8. marmor, a d. IV. Id. Octobr. Cn. Domitio et C. Asinio Coss. inscriptum: quod repetierunt Onuph. Panvin. in Commentar. ad Fast. L. II. p. 171. et Pighius l. l. vid. etiam M. Verrii Flacci Tab. Cons. et Triumph. edit. Onuphr. Panvin. Heidelb. 1688. p. 31. In Dionis Catalogo Consulum, qui praefixus est Libro XLVIII, leguntur nomina Consulum, Γν. Δομίτιος. M. υἱ. Καλουῖνος, τὸ β', καὶ Γ. 'Ασίνιος Γ. υἱ. Πωλίων, ubi corrigendum est Γν. υἱ. Virgilius item Pollionem Consulem celebravit Eclog. IV. 3. 11, 12. *Consularis* Pollio Asinius dicitur ab Hieronymo in Chron. Euseb. ad a. MMXX. et a Sueton. de ill. Gramm. c. 20. ex restitutione G. J. Vossii de Hist. Lat. I. 10.

Josephus, Ant. Jud. XIV. 14. § 5. Herodi scribit Judaeae regnum ex Senatus decreto esse concessum, Ol. CLXXXIV. C. Domitio Calvino iterum, C. Asinio Pollione Coss. vid. Havercamp. ad Joseph. l. l. coll. C. Noldii diatribe, de vit. et gest. Herod. § 25. Magna Antonii cum Herode necessitudo (conf. Joseph. l. l. § 4, 5.) effecisse videtur, ut hic, dum Romae moraretur, in Pollionis quoque amicitiam se insinuaret: qui postea Herodis filios, Alexandrum et Aristobulum, Romam a patre missos, hospitio excepit. vid. Jo-

seph. l. l. XV. 10. § 1. conf. Auctt. laudd. ab Hudsono ad h. l. et C. Noldius, l. l. § 152. Si quis in eum se putet errorem posse delabi, ut Pollionem Pharisaeum, de quo traditur a Josepho, l. l. XV. 1. § 1. c. 10. § 4. coll. Spanhem. ad L. XIV. c. 9. § 4., cum Asinio Pollione confundat, ei prospectum est ejusdem admonitione Spanhemii ad Joseph. l. l. XV. 10. § 1.

Consuli Pollioni, pace jam confecta, inscripsit Virgilius Eclogam IV. vid. Carol. Ruaeus in Virg. Hist. ad a. 714. Heyn. Vit. Virg. ad a. 714. et in argumento Eclogae IV. V. V. D.D. ad Eclog. laud.

Romam reversus, ubi eo Cos. lata est lex Falcidia (1), in toto jure civili una in paucis celeberrima, Asinius non diu post, versus anni exitum (2), honore cessit Consulibus suffectis, L. Cornelio Balbo, P. Canidio Crasso. vid. Auctt. supra laudd. Pighius ad d. a.

Caesar et Antonius, post pacem Brundusinam, imperii Romani eam divisionem fecerant, ut, Africâ Lepido relictâ, Antonius, quae erant a Scodra, Illyrici oppido, versus Orientem, provinciae insulaeque, ad Euphratem usque, haberet omnes; Cae-

(1) Vid. Dio XLVIII. 33. et Fabric. ad h. l. Voorda ad Leg. Falcid. Cap. II. § 3. Heynecc. Antiq. Jur. ad L. II. Tit. XX. § 14. Bachius, Hist. Jur. L. II. C. II. § 92. et Auctt. in notis laudd.

(2) Dio l. l. c. 32.

Caesar reliquas, ab eodem termino versus Occidentem usque ad Oceanum. vid. Appian. l. l. V. 65. Dio l. l. c. 28. Antonius, priusquam ad Parthos proficiscebatur, Asinium cum exercitu misit in Parthinos, Dalmaticam gentem, quae circa Epidamnum sive Dyrrhachium habitabat, Brutique partibus eximie faverat. vid. Appian. l. l. c. 75. Dio l. l. c. 41. (ubi Fabricius pro 'Ενιχυρίοις optime correxit 'Επιδαμνίοις) XLI. 49. et Fabric. ad h. l. et Auctt. ab eo laudd. XLII. 10. Strabo L. VII. p. 486. B. et Casaubon. ad h. l. p. 502. B. Plin. H. N. III. 22, 23. Palmer. Graec. Antiq. L. I. c. 34. Torrent. ad Horat. Carm. II. 1. princ. *Appellatur autem Dalmatia ea Illyrici pars, quae ad mare Adriaticum spectat* (1): rebellis regio, et quae diutissime Romanorum jugum detrectavit (2).

Cum in itinere Asinius esset, missa ei a Virgilio esse videtur Ecloga VIII, ipsius Pollionis, probabile est, jussu conscripta, vid. v. 11, 12.

Tu

(1) Vid. Plin. H. N. III. 25. Strabo L. VII. p. 484. B.

(2) Strabo l. l. conf. Vellej. II. 90. § 1. Gentis ferociam sempiterna cum Romanis bella demonstrant, quorum historia cognoscitur ex Appian. de reb. Illyr. c. 11. Liv. Epit. L. XLVII. LXII. Appian. l. l. c. 12. 13. 17. 24. 25. 28. Liv. Epit. L. CXXXI. CXXXII. CXXXIX. Sueton. in Aug. c. 21, 22. in Tiber. c. 9. Vellej. II. 39. § 3. c. 90. § 11. c. 110. § 2. Dione XLIX. 38. coll. Caes. de B. C. III. 9. Dione LIV. 20. 34. 36. LV. 29. LVI. 11. sqq. Floro IV. 12. § 10. 11. 12.

Tu mihi seu magni superas jam saxa Timavi,
Sive oram Illyrici legis aequoris.

Ecl. laud. v. 6, 7. vid. Serv. ad v. 12. F. Florus Sabin. Lectt. Subcis. II. 13. in Gruter. Lamp. T. I. p. 1112. sqq. Philargyr., Nansius, et Burmann. ad v. 10. Heyn. in Vit. Virg. ad a. 714. in argumento Ecl. VIII. et ad ipsam Eclog. nota ad v. 6—13.

In Dalmatia oppidum est Salone, Dalmatarum navale (1), et loci natura, et colle munitum (2); in quam urbem conveniebant circa habitantes, ut jura peterent (3). Eam cepit Pollio (4); Dalma-

(1) Strabo l. l. Plin. l. l. c. 22. Appian. de reb. Illyr. c. 11.

(2) Caes. l. l. conf. Dio XLII. 11. et ad ill. l. Fabric. et Auctt. ab eo laudd.

(3) Vid. Plin. l. l. conf. Caes. l. l.

(4) Vid. Servius ad Ecl. III. 88. IV. 1. VIII. 12. Acron et Porphyrio ad Horat. Carm. II. 1. 15. Ab urbe capta patrem filium mox natum appellasse Saloninum, qui nono jam die mortuus sit, a Grammaticis circumfertur. vid. Servius ad Eclog. IV. 1. 11. Acron ad Horat. l. l. conf. Heyn. Vit. Virg. ad a. 715. Huic puero genethliacon esse dictum Eclogâ IV, in Servianis commentis est, ad Ecl. IV. 1; quae est a V. V. D. D. explosa opinio. vid. Boecler. Dissert. Acad. T. II. Diss. XI. p. 387. Hist. de l'Acad. d. Inscript. T. XXXI. p. 190, 191. aliique, qui laudantur in Catalog. Biblioth. Bunav. T. I. p. 365. Heyn. in argumento d. Eclog. p. 84. edit. 1803. et in Vit. Virg. ad a. 715. Aliud item est commentum, de C. Asinio Gallo, Salonini fratre, qui prius natus sit Pollione Cos. designato (Serv. l. l. ad v. 11.): quod inde arreptum est, quia Asconius Pedianus a Gallo se audisse retulit, hanc Eclogam in ipsius honorem esse factam. Serv. l. l. conf. Hist. de l'Acad.

matasque, sive potius Parthinos, Dalmatarum partem (1), gregibus, armis, agris multavit. vid. Florus IV. 12. § 11. Reversus Pollio cum in apparatu triumphi occuparetur, factam esse a Virgilio Eclogam III, ex versibus 84 sqq. ingeniose elicuit Ruaeus, in Virg. Hist. ad a. 715, ut de victimis triumphalibus hi versus intelligendi sint. vid. Heyn. ad d. Eclog. l. l. et in Vit. Virg. ad a. 715. sed conf. ibid. ad a. 711. Triumphavit autem anno U. C. 714. VIII. Cal. Nov. Fasti Capitolini:

C. ASINIUS. CN. F. POLLIO. PRO. COS. AN. DCCXIV.
EX. PARTHINEIS. VIII. K. NOV.

Hinc Asinius

Cui laurus aeternos honores
Dalmatico peperit triumpho,

in privatam vitam se abdidit: *namque cum se post Brundusinam pacem continuisset in Italia, neque aut vidisset unquam reginam, aut post enervatum amore ejus Antonii animum, partibus ejus se miscuisset, rogante Caesare, ut secum ad bellum profi-*

l'Acad. l. l. Heyn. l. l. Hinc Hieronymus in Chron. Euseb. ad a. MMXXX. hausit, C. Asinii Galli Virgilium quoque meminisse: nam locus non profectus est ab ipso Eusebio, quem ex Armeniaco Cod. expresserunt ediderantque A. Majus, et Joh. Zohrabus, Mediol. 1818.

(1) Latius enim dixit Florus, quemadmodum et Horatius Carm. II. Od. I. 16. observante Mitscherlichio ad Horat. l. l.

ficisceretur Actiacum: mea, *inquit*, in Antonium majora merita sunt; illius in me beneficia notiora: itaque discrimini vestro me subtraham, et ero praeda victoris. Vellej. II. 86. § 3, 4. (1). Quamvis enim Vellejus non meminisse videtur expeditionis in Dalmatiam, quae post pacem Brundusinam suscepta est (2): acto tamen triumpho Asinius publicis negotiis abstinuit; ac dignum tanto Oratore ac cive vitae genus

(1) Vis dicti ne quem fugiat, monendum est, *majora* et *notiora* non comparari inter se, sed cum postulato Caesaris, ut secum Asinius ad bellum proficisceretur Actiacum.

(2) Vellejo suffragari quidem videntur Servianae laciniae ad Eclog. III. 88. IV. 1. quibus perhibetur Pollio post triumphum Dalmaticum ad Consulatum pervenisse; quod apprehensum est ex male intellectis Horatii versibus, Carm. II. Od. I. 15. conf. Serv. ad Ecl. III. 88.: verum harum traditionum non ea est auctoritas, qua fides historiae, quam suis testimoniis stabilivimus, possit labefactari. Suam ipse fidem turpiter minuit Grammaticus, qui Pollioni tradat, (ad Eclog. VIII. 12.) cum tunc Illyricum peteret, expugnaturus Salonas, inde ad Orientem adversus Antonium proficiscendum fuisse. Alio loco, ad Ecl. X. 1. confundit Servius C. Asinium Gallum, Pollionis filium, cum Cornelio Gallo, quem errorem notavit G. J. Vossius de Rhet. Nat. ac Const. C. XV. p. 244. edit. Amst. 1697. T. III. Alium errorem, nummo aliquo (qui exhibetur in Ovid. Burm. T. IV. p. 122.) deceptus, errat Ezech. Spanhem. de praest. et usu Numism. Diss. I. p. 54. et in Addend. p. 719; qui refutatur cum ex ipsa nummorum doctrina, (quod factum est a J. Masson. in Diss. de Veiidii Poll. num. in Ovid. Burm. App. T. IV. et Eckhel. Numm. Vett. p. 176. et in Doctr. numm. vet. T. II. p. 409.), tum hoc unico argumento historico, quod nunquam Asinius provinciam in Asia rexit.

nus tuitus est, qui otio non ad otiandum abusus, in praeconii Horatiani laudem venit:

Insigne moestis praesidium reis,
Et consulenti Pollio curiae.

Nam neque accusandi defendendique in judiciis officio, nec Senatoris dignitati defuit (1). Verumenimvero ab hoc inde tempore in nulla alia magis re Asinius vitae tabernaculum collocandum censuit, quam in bonarum studio literarum: quod si nullo alio documento ad posteritatis memoriam propagasset, quam bibliotheca ad communes omnium usus aperiendâ, nomen eum suum immortalitati commendasse putemus. Igitur de reliquis partibus suo loco postea; de hac praeclara Asinii opera, qua *primus bibliothecam Romae dicando, ingenia hominum rem publicam fecit*, nunc dicamus.

Apud Romanos bibliothecarum sera fuit exstructio: cujus studii initia (2) manarunt a Paullo Aemilio, vid. Plutarch. in Paull. Aemil. p. 270 D. Isidor. Origin. VI. 5.; Cornelio Sulla, vid. Plutarch. in Sulla p. 468. A. B. Lucian. adv. indoct. c. 4.

(1) Apud Gruter. Corp. Inscript. p. CCCXVIII. n. 1. Senatus-consultum est, ludis Secularibus factum, cui adfuisse legitur C. ASINIVS. CN. F.

(2) De temporibus antiquioribus vid. J. Lomeier de Bibliothecis c. VI.

c. 4. edit. Reitz. T. III. p. 102. et Lucullo, vid. Plutarch. in Lucull. p. 519. E. F. Isidor. l. l. Nam Luculli bibliotheca nondum publica fuit, quod ex Plutarchi l. l. aliquoties arreptum est. vid. Donat. de urbe Roma, L. II. c 9. p. 104. 105. Ol Borrichius, de antiq urb. Rom. facie, c. XV. § 3. in Thes. Antiq. Rom. T. IV. p. 1604. Silvest. Lursen. de Bibliothec. Roman § 9. p. 278, 279. quae disputatio addita est ejusdem auctoris libello, de templo et Bibliotheca Apollinis Palatini, Franeq. 1719. Ceterum vid. Scriptores laudd. a Cellario, Antiq. Rom. L. VII. Sect. II. § 7. et a Walchio in notis. Lursen. l. l. § 8, 9, 10 p. 276 sqq. Primus Caesar destinaverat *bibliothecas Graecas et Latinas, quas maximas posset, publicare, data M. Varroni cura comparandarum ac digerendarum.* Suet. in Caes. c. 44. Destinatum opus Asinius Pollio perfecit. Erat enim tum in more publica munificentia: et Augustus principes ac dignitate praestantes viros non tantum non arcebat, sed hortabatur, hostiles exuvias, aut exundantes opes ornatum ad urbis et posterûm gloriam conferre. Tacit. Annal. III. 71. Vellej. II. 89. § 4. Suet. in Aug. c. 29. Itaque aliis monumentis alii et urbem adornarunt, et famae laudique suae consuluerunt: *primus Romae bibliothecas publicavit Pollio, Graecas Latinasque, additis auctorum imaginibus, in atrio, quod de manubiis magnificentissimum instruxerat.* Isidor.

Orig.

Orig. l. l. (1). Atrium autem fuit Libertatis, auctore Suet. in Aug. l. l.

Ex Dionis Cassii loco, L. XLIX. c. 43. *Augustus* ἐπειδή τε οἱ Δαλμάται παντελῶς ἐκεχείρωντο, τάς τε στοὰς ἀπὸ τῶν λαφύρων αὐτῶν, καὶ τὰς ἀποθήκας τῶν βιβλίων, τὰς Ὀκταουΐνας ἀπὸ τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ κληθείσας, κατεσκεύασεν· suspicari quis possit, confundi ab auctore bibliothecam Octaviae cum Asiniâ, quam item probabile est ex Dalmatarum manubiis instructam fuisse; praesertim cum Appianus, de reb. Illyr. c. 28. signa ex Dalmatarum postremo bello reportata tradat ab Augusto suspensa esse in porticu, quae Octavia dicatur, et Conringius, de bibliotheca August. p. 29. Helmestad. 1684., dubitet, utrum omnino bibliotheca Octavia usquam extiterit. Quamobrem faciendum est, ut ostendamus, et fuisse bibliothecam Octaviam, et diversam ab Asiniâ. Plutarch. in Marcello p. 316. C. Octaviam narrat in memoriam ac honorem Marcelli, filii sui, bibliothecam dedicasse, Caesarem vero theatrum, quod Marcelli nomine inscripserit. Dionis auctoritatem Plutarcho praeferunt Fabricius ad Dion. l. l. et Lipsius de Biblioth. c. III. conf. Lursen. l. l. § 13. p. 284, 285; nobis videtur uterque ita posse conciliari, ut in porticu, quam Augustus de so-

(1) De Graecarum Latinarumque bibliothecarum conjunctione solenni, vid. Lursen. de templo Apollinis Palat. c. XVI. p. 117. sqq.

sororis nomine dixit, Octavia dein bibliothecam in filii honorem poni curaverit: Festo, de verb. signif. L. XIII. p. 301. edit. Dacer. ipsam porticum scribente ab Octavia factam esse. Bibliothecam Octaviam memorant item Sueton. de ill. Gramm. c. 21. et Dio, LXVI. 24. Publicam eam fuisse manifestissime constat ex Ovidio, Trist. L. III. Eleg. I. 59. sqq. ubi libellus in bibliothecam aliquam recipi volens, de Palatinâ repulsus, v. 69.

Altera templa (1) *peto, vicino juncta theatro,*
Haec quoque erant pedibus non adeunda meis.

dein

(1) In *alteris* hisce *templis*, quae fuerint, indicandis, haerent Interpretes: unde operae pretium est, rem planam facere. Octaviae porticus ambiebant duas aedes, (Vellej. I. 11. § 3. Plin. H. N. XXXVI. 5.) Junonis alteram, alteram Jovis: nam etsi Apollinis, non Jovis, alterum templum faciunt Donat. l. l. L. III. c. 17. p. 255. 256. Nardin. Roma vetus, L. VI. c. 2. in Thes. Antiq. Rom. T. IV. p. 1251. 1252. Ol. Borrich. de Antiq. urb. Rom. facie c. XI. § 1. p. 1576., contra sentientibus Lursenio l. l. § 13. p. 285. 286. Jac. de Rhoer, Otium Daventr. L. I. c. 20. p. 157 sqq. c. 21. p. 160 sqq. Ruhnken. ad Vellej. l. l.; lis dirimitur ex ichnographia veteris Romae, quam ex lapidibus Farnesianis descriptam, primus in lucem edidit J. P. Bellorius: cujus libellus repetitus est in Thes. Antiq. Rom. T. IV. vid. Tab. II. et Bellor. in Annotat. p. 5. Contiguum erat in eadem regione theatrum Marcelli. vid. Rufus l. l. p. 236. Victor l. l. Fest. de verb. signif. l. l. Donat. L. III. c. 8. p. 194. 195. Nardin. l. l. p. 1252. 1253. Igitur nullo negotio dubitari potest, quin Ovidius l. l. significarit porticum Octaviae, in qua jam patet bibliothecam publicam fuisse.

deiu neque in Asiniam admissus, v. 79.

statio quoniam mihi publica clausa est:
Privato liceat delituisse loco.

Tandem fuerunt Octaviae porticus in regione urbis IX, vid. Sex. Rufus, de reg. urb. in Onuph. Panvin. Comment. reip. Rom. p. 235. Victor. de reg. urb. p. 248. ibid. Donat. l. l. L. III. c. 17. p. 255. 256. F. Nardin. Roma vetus, L. VI. c. 2. in Thes. Antiq. Rom. T. IV. p. 1251. 1252.; atrium libertatis in regione XIII, qua de re mox patebit.

Atrium libertatis diu ante Pollionis aetatem extitit; vid. Liv. XXV. 7. XXXIV. 44. XLIII. 18. XLV. 15. Ovid. Fast. IV. 623.: ita ut potius refectum aut restitutum ab Asinio sit, quam quod dixit Suet. in Aug. l. l., exstructum. conf. Casaub. ad Suet. l. l. Nardin. l. l. L. VII. c. 9. p. 1395. 1396. Lursen. l. l. § 11. p. 281. 282. Ol. Borrich. l. l. p. 1604. Ponitur in regione XIII; vid. Victor l. l. p. 253: ac collocari videtur in ipso monte Aventino verbis Victoris l. l. *Atrium libertatis in Aventino*, et Livii, XLIII. 18. qui L. XXIV. c. 16. *aedem libertatis in Aventino* memorat: nec tamen certi quidquam statui potest; vid. Nardin. L. V. c. 9. p. 1184. 1185. L. VII. c. 9. p. 1396. Donat. l. l. L. III. c. 13. p. 216.: praesertim post edita fragmenta lapidum Farnesianorum, vid. Tab. VI. et Bellor. in An-

no.

notat. p. 10. Omnem de atriis quaestionem ac vocabuli vim diligentissime persecutus est Schneider ad Vitruv. VI. 3. § 1. T. II. p. 432 sqq. conf. est elegantissimi auctor libelli, Le Palais de Scaurus, ou description d'une Maison Romaine, Paris. 1819. Chap. V. p. 41. sqq. coll. Tabb. 27 et 77. apud Gell et Gandy, Pompejana, Lond. 1817 — 1819. et operis p. 147. 181. Quae omnia si conferamus, apparet, atria integrae fere domus usum praestitisse, additaque fuisse templis, aut juxta templa posita: ut tractu temporis ea praecipue aedificia atria dicta fuerint, quae veterem consuetudinem servarent. conf. Nardin. l. l. L. V. c. 5. p. 1159. c. 9. p. 1187. coll. Schneider. l. l. p. 436. 446. In Tab. item laud. Bellorii atrium libertatis aedificium esse videtur singulare, quod porticu cum templo conjungitur.

In libertatis atrio Pollio Asinius primus in urbe publicam bibliothecam explicuit. vid. Isidor. l. l. Plin. H. N. VII. 30. XXXV. 2. Ovid. Trist. l. l. v. 71, 72.

Nec me, quae doctis patuerunt prima *libellis*
Atria, libertas tangere passa sua est.

Eodem referuntur versus Martialis, Epigramm. XII. 3. v. 5, 6. ubi Poeta libellum, quem Romam mittit, alloquitur:

Non tamen hospes eris, nec jam potes advena dici,
Cujus habet fratres tot domus alta Remi.

vid.

vid. Nardin. l. l. L. VII. c. 9. p. 1396. Borrich. l. l. c. XV. § 3. p. 1604. nisi pro mente Poetae subtilius sit, *domum altam Remi* interpretari montem Aventinum. Mihi quidem haec non explicatio esse videtur, sed argutiarum venatio.

Bibliothecam Pollio primus auctorum imaginibus ornavit, qui mos ab eo inde tempore invaluit. vid. Isidor. l. l. Plinius, H. N. XXXV. 2. *non est praetereundum*, inquit, *et novitium inventum. Siquidem non solum ex auro argentove, aut certe ex aere, in bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animae in iisdem locis ibi loquuntur: quinimo etiam quae non sunt, finguntur, pariuntque desideria non traditi vultus, sicut in Homero evenit. Quo majus (ut equidem arbitror) nullum est felicitatis specimen, quam semper omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis. Asinii Pollionis hoc Romae inventum, qui primus bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit.* Alio loco, L. VII. c. 30., *M. Varronis*, ait, *in bibliotheca, quae prima in orbe* (1) *ab Asinio Pollione ex manubiis publicata Romae est, unius viventis posita imago est: haud minore (ut equidem reor) gloria, principe Oratore et cive, ex illa ingeniorum, quae*

(1) Diu ante a Ptolemaeis publicae bibliothecae Alexandriae conditae sunt: quamobrem apud Plinium ita legendum est: *quae prima in urbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata, Romae est.*

quae tunc fuit, multitudine, uni hanc coronam dante, quam cum eidem Magnus Pompejus piratico ex bello navalem dedit. conf. Lursen. de Biblioth. Apoll. Palat. c. XIX. p. 178. sqq. Lips. de Biblioth. c. X.

Publicatae bibliothecae usus duplex imprimis fuit; cum ut omnibus pateret, tum ut editos scriptorum libros, praefectorum auctoritate, reciperet, ubi ab omnibus legi poterant. vid. Lursen. l. l. c. XVI. p. 137. sqq. et Auctt. ab eo laudd. Conditor autem, quantam laudem apud cives suos meruerit, optime suo pretio aestimavit Plinius, Pollionem dicens *ingenia hominum rem publicam fecisse.* Etenim hac operâ effectum est, ut doctrinarum literarumque studia et omnis omnino humanitas ex privatorum recessibus ac singulorum otio velut educerentur, et ad universos permanarent. Scilicet cum artes literaeque, earumque fontes, ante fuissent in quadam ditiorûm ac genere dignitateque praestantium virorum velut custodia, jam factae sunt commune totius civitatis bonum, ita ut nunc demum ad omnium notitiam explicaretur, quodcunque esset a magnis ingeniis ad humanitatem praestitum. Neque enim communis apud aliquam gentem ingeniorum cultus semper ex virorum doctorum excellentia, numero, scriptis, metiendus est. Quamquam utriusque conditionis, et cultûs universorum, et eruditioris doctrinae singulorum, confinia ita ad se invicem vergunt, ut frequens esse debeat commercium, si quis commer-

mercii instituendi rationes ac vias aperuerit. Quibus apertis jam fit, ut politioris humanitatis undique ubertas quaedam efflorescat, et optimarum artium velut lato flumine se profundat elegantia, nihilque in doctrinis proficiatur, quod non fluat in utilitatem communem. Hic autem, qui non literas tantum, sed civitatem expoliat, is profecto de condendo liberaliorum artium cultu, omnisque humanioris disciplinae progressione, non minus meruerit, quam qui primus literas invexerit.

Cum graviorum usu doctrinarum magnum Pollio Asinius conjunxit artis amorem, cujus operibus eximie delectabatur. Igitur, qua fuit judicii elegantiâ, monumentorum artis et patrocinium studiumque suscepit, et insignem Romae copiam exposuit. Quamobrem a Winkelmanno, idoneo in paucis harum rerum aestimatore, Asinii in arte colenda ac publice commendanda laudes cum imperatoris Augusti aequantur magnifica liberalitate. vid. Winkelm. Hist. de l'art L. VI. C. VI. § 14. edit. Janssen. T. II. p. 401. Verum sunt hujus studii, quod in excellentium artificum operibus colligendis et ad urbis ornatum expromendis, Asinius collocavit, documenta ac specimina proferenda. Plin. H. N. XXXVI. 5. edit. Hard. c. 4. n. 5. *Romae Praxitelis opera sunt — Sileni in Pollionis Asinii monumentis, et Apollo et Neptunus.* n. 6. Cephissodori filii Praxitelis Romae opus est *Venus in Pollionis Asinii monumentis.* ibid. n. 10. *Pollio Asinius, ut fuit acris vehementiae, sic quoque spectari monumenta sua voluit. In iis sunt Centau-*

tauri Nymphas gerentes Archesitae, Thespiades Cleomenis, Oceanus et Jupiter Entochi, Hippiades Stephani, Hermerotes Taurisci, non caelatoris illius, sed Tralliani. Jupiter Hospitalis Pamphili Praxitelis discipuli. Zethus et Amphion ac Dirce et Taurus, vinculumque, ex eodem lapide, Rhodo advecta opera Apollonii et Taurisci. — Eodem loco Liber Pater Eutychidis laudatur. Pollionis Asinii *monumenta* intelligit Heynius, Antiquar. Aufsätze St. II. p. 185. not. *e.* bibliothecam, refectumque ab eo atrium libertatis. Nos, si nostram opinionem dicere fas sit, *monumenta* interpretemur ipsa artificum opera, ab Asinio disposita; secuti auctorem Plinium, cujus sunt in hanc sententiam verba, n. 10. *sic quoque spectari monumenta sua voluit. In iis sunt* etc. Locum vero, ubi haec monumenta ex licuerit, ignoramus: nam sive bibliothecam quis indicare velit, sive hortos Asinianos, quos P. Victor de reg. urb. p. 252, docet fuisse in regione urbis XII, sive alium quemcunque locum malit, optio relinquetur integra. Asiniani tamen horti fuerunt prope Auentinum et Thermas Antoninianas (1), in quarum ruinis postea Zethi, Amphionis, Dirces ac Tauri monumentum repertum est. vid. Heyn. l. l. p. 186. Winkelm. l. l. L. VI. c. IV. § 16. p. 316. De ipsis artis operibus, quorum memoriam Plinius servavit, pauca ha-

(1) Vid. Nardin. l. l. L. VII. c. 6. p. 1379. Donat. L. III. c. 23. p. 287. 288.

habet Winkelm. l. l. c. VI. § 14. p. 401, 402. Nobilissimum in iis, et ex omni fere antiquitate, monumentum est, quod mox tangebamus, quo repraesentantur Zethus et Amphion, Dirces, ad matrem Antiopen ulciscendam, supplicium parantes (1); ingens opus, quod Rhodo advehendum Asinius curavit; ac medio pene seculo XVI effossum, Tauri Farnesii nomine celebrari coepit: hodieque Neapoli visitur. vid. Winkelm. l. l. c. IV. § 14. sqq. p. 315. sqq. sed imprimis Heyn. l. l. p. 182—224. conf. Thes. Gronov. T. I. Tab. Dd. C. A. Böttiger, Andeut. zur Archaeolog. P. I. p. 210. Beck, Grundr. der Archaeol. Leipz. 1816. p. 6. et in Addend. ad h. l. p. X.

Viam Asinariam, quae ad portam tendebat ejusdem nominis, Pollionem Asinium aut filium Gallum auctorem habuisse, ex Suet. in Aug. c. 30. suspicabatur Alex. Donatus l. l. L. I. c. 21. p. 57. In re tam parum certa, ne conjectura quidem quidquam proficies. Et si conjiciendum sit, ad vocis formam accommodatius arbitremur, Asinariae viae nomen impositum esse ab aliquo Corneliae gentis; huic enim proprium fuit Asinae cognomen: cujus causam exposuit Macrobius, Saturn. I. 6. Ceteroquin suo cuique licet frui judicio.

His rebus Pollio Asinius dignitatis suae, dudum

(1) Fabulae fontes ostendit Heyn. l. l. p. 183. 184. p. 206 sqq.

dum ante civium animis praeceptam, existimationem perfecit et consummavit. Praeterea forensi labori causarumque defensionibus frequentem operam navans, et eloquentiae usum laudemque confirmavit, et nobilis patroni nomen sibi quaesivit. Verum de toto hoc negotio accuratius infra dicemus. Reliquorum praestantiae meritorum Pollio adjunxit et eam officii partem, qua sola rite exsequenda multi principes ex Augustea aula viri nominis sibi immortalitatem pepererunt, ut cum literas, tum praecipue insignia in omni literarum genere ingenia, auctoritatis suae tutela complecteretur. Neque profecto minoribus Asinius beneficiis Virgilium sibi devinxit, Timagenem, alios, quam Maecenas Horatium. Testimonia alibi posuimus. Porro in declamandi recitandique exercitationibus patrocinio suo exemploque adjuvandis, et flagrantem studii amorem prodidit, et ambitionem declaravit. Quam rem hic indicasse sufficiat, tractabimus postea. Reliquum otii tempus Musis ipse literisque operatus est: qua novae laudis accessione ceterarum splendorem virtutum cumulavit.

In hoc dignitatis flore Asinius consenuit, *nervosae vivacitatis haud parvum exemplum*, uti dixit Valerius Maximus VIII. 13. ext. 4. Certe de animi solito robore ac vigore ne extrema quidem senectus quidquam delibârat: quod notabili documento probatum imus. Seneca, Excerpt. Controv.

L.

L. IV. Praefat. p. 443. *Cum mortuo*, inquit, *in Syria Cajo Caesare, per codicillos questus esset divus Augustus, ut erat mos illi clementissimo viro, non civiliter tantum, sed etiam familiariter, quod in tam magno et recenti luctu suo homo carissimus sibi, pleno convivio coenasset, rescripsit Pollio: Eo die coenavi, quo Herium filium amisi. Quis exigeret majorem ab amico dolorem, quam a patre?* Interiit autem C. Caesar, si rursus ad rationes nos Pighianas componamus, anno U. C. 755, qui fuit aetatis Asinii annus 78. Biennio post, in extremo pene Augusti principatu, (vid. Auct. dial. de Orat. c. 17.), ipse Asinius obiit in villa sua Tusculana: quod cognoscitur ex Hieronymo in Chron. Euseb. ad a. MMDD. cujus haec sunt verba: *Asinius Pollio Orator et Consularis, qui de Dalmatis triumpharat,* LXXX. *aetatis suae anno in villa Tusculana moritur.* Fides est penes Hieronymum: nam in auctoritatis societatem non venit Eusebius, quem ex Armeniaco Codice restituerunt A. Majus et Jo. Zohrabus.

Sed ne excellentis viri memoriam ita abire patiamur, primum de ejus animi indolisque dotibus, dein de vitae publicae consiliorumque rationibus ac momentis, hoc eodem Capite disputare constituimus.

Ingenii doctrinaeque excellentiae parem Asinius habuit animi magnitudinem. Erat autem in eo mentis altitudo quaedam et excelsitas, quae supra vul-

vulgarium hominum humilitatem nimium quantum eminebat: ast meliorum temporum luce et Romano homine digna, inter adulatoria Augustei aevi ingenia vehementiae asperitatisque reprehensionem effugere non potuit. Pollionis adeo fere notabatur *ferocia*, quam filius Gallus, παῤῥησίᾳ ἀεί ποτε πατρῴᾳ καὶ ὑπὲρ τὸ συμφέρον αὐτῷ χρώμενος, (Dio L. LVII. c. 2.) retinuerit. vid. Tacit. Annal. I. 12. Neque enim mirum cuiquam videri potest, si ejus nimia ac ferox cogitandi agendique libertas censebatur, qui tantum sibi sumebat, ut Octaviano, cui salutem suam debuit (1), ipsius in bello Actiaco operam efflagitanti, parere noluerit; quemque Augustus domo sua interdixisset, historicum Timagenem, eum amicitia sua contubernioque tutaretur. vid. Senec. de Ira III. 23. Neque desiit Pollio aliis item occasionibus miram principis lenitatem ac facilitatem cum sua ferocia, velut factâ contentione, committere: quod gravem ipsi inurere debuit asperitatis notam. Documentum est apud Sueton. in Aug. c. 43. conf. Gronov. ad Tacit. l. l. Asinius vero eodem robore constantiaque et reliquam vitam gubernavit, et adversae fortunae mala superavit. Quid igitur? Acerbissimo casu afflictus, tanta fortitudine luctum compressit, quantam in humanae naturae exemplum a paucis, ex omni memoria aetatum, edi declararique contigit. Rem accipe ex testimonio

(1) Conf. Senec. de Clement. I. 10.

nio Senecae Rhetoris, cujus operae pretium est ipsa verba apponere. Excerpt. Controv. L. IV. Praefat. p. 442, 443, *Memini*, ait, *intra quartum diem, quam Herium filium amiserat, declamare Asinium nobis: sed tanto vehementius, quam unquam: ut appareret, hominis naturam contumacem cum fortuna sua rixari. Nec quidquam ex ordine vitae solito remisit.* Atqui eodem, quo filium amisit, die coenavit, ut supra vidimus. *Praeconium*, inquit Seneca l. l., *illud ingentis animi fuit, malis suis insultantis.* Sed quo proclivius humana natura a singularum consummatione virtutum ad proxima vitia aberrat, eo minus diffitendum est, in Asinio quoque, tali, qualis apparuit, animi magnitudini ac severitati, adnatam fuisse quamdam inclinationem vehementiae et contumaciae. Igitur *acris* Asinii *vehementia* vel e monumentorum ejus genere elucebat, teste Plinio, H. N. XXXVI. 5.; nec magnopere repugnamus, si quis in aliis etiam speciminibus, ante memoratis, hujus ejusdem habitûs reperisse indicia sibi videatur. Verum ut nihil magnum excelsumque est sine virtute, ita Asinius a communi aetatis suae labe, raro exemplo, immunem se servans et integrum, reliquam praestantiam suam incorrupta morum ac vitae sanctitate condecoravit. Testes mihi sunt Tacitus, Annal. XI. 6. et Seneca, de Benefic. IV. 31. Summam gravitatem suam incredibili Pollio temperavit urbanitatis festivitatisque condimento: ut *de eo, seriis jocisque pariter accommodato, dictum sit, esse eum om-*

nium horarum: verba sunt Quinctiliani, I. O. VI. 3. p. 566. Sic profecto res se habet, nullum ut sit vitae tempus, aut mentis habitus, in quo non deceat leporem, humanitatemque versari: et C. Publicius de P. Mummio cum magna laudis significatione solitus erat praedicare, eum *cuivis tempori hominem* esse, narrante Caesare apud Cic. de Orat. II. 67: eodemque praeconio Tiberius sodales suos, Pomponium Flaccum et L. Pisonem, *jucundissimos et omnium horarum amicos*, appellavit. Auctor est Sueton. in Tiber. c. 42. Ceterum conf. Plin. Epist. V. 3. Seneca l. l. p. 445. In vitae ordine instituendo hac se velut lege circumscripserat, ut statas horas occupationi laborique daret, quo relaxatio sua item spatia haberet. Meminit Seneca philosophus, cujus non alienum est ipsa verba referre, de Tranq. anim. c. 15. *Magni — viri quidam sibi menstruas certis diebus ferias dabant: quidam nullum non diem, inter et otium, et curas, dividebant: qualem Pollionem Asinium, oratorem magnum, meminimus: quem nulla res ultra decimam retinuit: ne epistolas quidem post eam horam legebat, ne quid novae curae nasceretur, sed totius diei lassitudinem duabus illis horis ponebat.*

Sequitur, ut Asinii vitae publicae consilia ac rationes indagemus, easque ad momentorum consensum revocatas, principiorum auctoritate complectamur. Quarum attamen rerum explicatio tantis impeditur et velut coarctatur tenebris, ex in-

di-

diciorum monumentorumque penuria ortis, ut felices simus, si universum argumentum et capita nonnulla in aliqua intelligentiae luce collocemus.

Igitur primum nihil discimus ex Catoniana actione, a qua Pollio reip. capessendae initium fecit: quod quale sit, deinceps patebit. Aliquanto plus proficimus ex epistolis Asinii ad Ciceronem, in quibus auctor de suo in remp. studio exposuit.

Primâ epistolâ, (ad Div. X. 31.) scriptâ Coss. Hirtio et Pansa, respondere videtur ad acceptas a Cicerone literas: *nactus*, inquit, *occasionem, posteaquam navigari coeptum est, cupidissime et quam creberrime potero, scribam ad te. Ne movear ejus sermonibus, quem tametsi nemo est, qui videre velit, tamen nequaquam proinde, ac dignus est, oderunt homines, periculum non est. Adeo est enim invisus mihi, ut nihil non acerbum putem, quod commune cum illo sit. Natura autem mea, et studia, trahunt me ad pacis et libertatis cupiditatem. Itaque illud initium civilis belli saepe deflevi. Cum vero non liceret mihi, nullius partis esse: quia utrobique magnos inimicos habebam; ea castra fugi, in quibus plane tutum me ab insidiis inimici sciebam non futurum. Compulsus eo, quo minime volebam, ne in extremis essem, plane pericula non dubitanter adii. Caesarem vero, quod me in tanta fortuna, modo cognitum, vetustissimorum familiarium loco habuit, dilexi summa cum pietate et fide. Quae mea sententia gerere*

 mi-

mihi licuit, ita feci, ut optimus quisque maxime probarit. Quod jussus sum, eo tempore atque ita feci, ut appareret, invito imperatum esse. Cujus facti injustissima invidia erudire me potuit, quam jucunda libertas, et quam misera sub dominatione vita esset. Ita, si id agitur, ut rursus in potestate omnia unius sint; quicumque is est, ei me profiteor inimicum. Nec periculum est ullum, quod pro libertate aut refugiam aut deprecer. — Quare eum me existima esse, qui primum pacis cupidissimus sim: omnes enim cives plane studeo esse salvos: deinde qui et me et remp. vindicare in libertatem paratus sim. Egregiam profecto et optimo cive dignam amoris in remp. voluntatisque declarationem! Quam ne quis simulatam esse putet, quod libertatis cupiditatem cum tanta Caesaris observantia conciliari non posse arbitretur, refutarique ipsius Asinii factis, rem ex dissensionum civilium, quae Romanam civitatem ab ejus inde incunabulis afflixerunt, historiâ, altius repetere, hujus instituti locique esse duximus.

Ejectis regibus, reip. Romanae regimen ad quamdam aristocratici imperii formam traductum est: qua cum nimium plebs premeretur, institutis Tribunis, et legum ferendarum, magistratuumque creandorum jure ad populum translato, aristocratiae et democratiae quaedam aequilibritas constitui coepta est. Ex quibus tamen turbis necesse fuit oriri Optimatium factionis et plebejae contentiones, quae reprimi et obsopiri poterant, restingui

non

non poterant. Igitur Optimates, potestatis suae reliquiis non contenti, plebem insolenti imperio coercere, δημαγώγοι vi et artibus imperii momentum ac pondus ad suae factionis arbitrium transferre. Quo consilio, ut in comitiis sua factio dominaretur, tandem inciderunt in cogitationem, cum tota Italia civitatem Romanam communicandi. Ad hanc spem erecti socii, primum Gracchorum molitionibus, dein Livii Drusi, Tribuni pl., pollicitationibus, quod precibus consequi non potuerant, armis extorserunt. Novorum vero civium accessio, et in comitiis potentia, ita cohibita sive potius fracta est, ut eorum multitudo octo tribubus concluderetur, et reliquis triginta quinque adderetur.

Hoc modico beneficio contenti recepti cives, vid. Appian. de B. C. I. 49., popularis factionis principibus parum praesidii attulerant. Unde cito factum est, ut primum Sulpicius, vid. Appian. l. l. c. 55., dein Cinna, vid. Appian. l. l. c. 64., eos per omnes tribus aequali jure distribuere conarentur. Hos motus primum frenavit Aristocraticae factionis potestas, dein fregit Sullae ex bello Mithridatico in urbem reditus. Sulla enim, Optimatium dux et caput, et in praesens alteras partes caedibus afflixit, ferroque compescuit, et in posterum Aristocratiam in arce imperii collocavit. Hinc facile est attendenti intelligere, novos cives exasperari debuisse in factionem Aristocraticam, cum alterius contra partis auctoribus vehementi

studio conciliari. Praeterea ferendum non erat, quod Optimatium factio honores nobilibus quasi in custodiam tradere cupiebat, prohibitis novitiis, ac perpetuo sociorum, quorum multitudine suam dignitatem labefactatum iri videbat, aequali cum ceteris civibus juri adversabatur. Postea C. Julius Caesar, C. Marii affinis, Cinnae gener, in quo plures Marios inesse Sulla suspicabatur, vid. Plutarch. in Caes. p. 707. D. E. jam ab initio, praeferendis in funere amitae suae Juliae C. Marii imaginibus, vid. Plutarch. l l. p. 709. C., iisque cum triumphalibus Marii insignibus aedilis in Capitolio ponendis, vid. l. l. p. 709. E. p. 710. A., popularis factionis ducem adversus restitutam Aristocratiam publice se professus est. A quibus consiliorum carceribus egressus, eumdem postea cursum constantissime tenuit: et cum Sulla Marianis bellum intulisset, non ut se, verum ut factionem Optimatium in reip. fastigio collocaret, Caesar unice ad se supra universos efferendum alterius factionis partes suscepit.

Haec eo spectant, ut novos cives perspicuum sit, Caesarem ducem consectari voluisse (1). Pollio

(1) Asinii item gentiles, Marrucini, cum Marsis, Pelignis, ceteris Italicis, Caesarem contra Pompejum juverunt. vid. Caesar de B. C. II. 34. Ante Cinna maxima contra Sullam praesidia ex socialibus urbibus duxerat, vid. Appian. de B. C. I. 65. 68. Liv. Epit. L. LXXX; et ex victis fugatisque Marii partibus ultimus exercitus Italicorum, duce Pontio Telesino, cum Sulla de victoria certa-

lio autem praeter has universas sequendi Caesaris causas, peculiarem habuit aliam ex avi sui cum bello sociali conjunctione. Bellum enim sociale, cum imprimis conflatum esset concitantibus popularis factionis principibus, postquam Optimates arcere socios ex civitate studuissent, Herius Asinius ita Italicis praefuit, ut in ejus gente ab eo inde tempore flagrare debuerit hereditarium partium Aristocraticarum odium: praesertim cum, jam in civitatem admissi, Optimatium artibus juris aequalitate fraudarentur: quam injuriam, quotquot illustriori loco nati essent, aegrius ferebant; quippe qui, nullis nobilium majorum imaginibus spectati, sic difficilius etiam, quam ceteri plebeji, ad honorum magistratuumque splendorem eniterentur.

His de causis Pollio Asinius, *firmus proposito, Julianis partibus fidus, Pompejanis adversus* (2), esse debuit: et quoniam insuper Caesar Asinium, *in tanta fortuna modo cognitum, vetustissimorum familiarium loco habuit*, eum se *dilexisse* profitetur Pollio *summa cum pietate et fide:* in epist. ad Ciceronem, ad Div. X. 31. (3).

Nec

taverat. vid. Appian. ibid. c. 90. sqq. Vellej. II. 27. Liv. Epit. L. LXXXVIII. Plutarch. in Sulla p. 470, 471.: quamobrem Samnites ex primis crudelitatem victoris erant experti, vid. Appian. l. l. c. 87.; qui, odio efferatus Italicorum, totas eorum civitates funditus delevit. vid. Florus III. 21. § 27, 28. Strabo L. V. p. 382. B. C.

(2) Verba sunt Velleji II. 63. § 3.

(3) Pertinet huc locus Ciceronis in epist. ad Att. XV. 29. qui

Ita

Habet vero hic locus conjunctam admonitionem, ne unumquemque, qui populari factioni, ducique Caesari nomen suum dedisset, ideo protinus ex reip., libertatisque interitu suam salutem quaesivisse putemus. Fuere multi, iique boni cives et patriae amantes, qui in libera potissimum rep. florere vellent, et Optimatium arbitrio aliquantum represso, horum auctoritatem et democratiae ad aequilibritatis consensum revocare. Horum spem Caesaris, ad se unum omnia rapientis, ambitio fefellit. Igitur interfecto Caesare, qui unius dominatione utrique factioni exitium erat allaturus, videbatur futurum, ut ambae ad unam communem remp. servandam conspirarent. Verum haec rursus vota primum turbavit Antonius, libertati omnium palam insidiatus; dein inania fecit Aristocraticae, i. e. Pompejanae, factionis, cujus principes labantis reip. contra Antonium tutamen susceperant, imprudentia. Hi enim, cum in libertatis certamine de insano partium studio ne cogitandum quidem fuisset, remp., quam vix recuperaverant, ita prodiderunt, ut ejus patro-

Interpretes male habuit. Verba haec sunt: *Quintus filius — mirus civis, ut tu Favonium Asinium dicas.* Ernestus conjiciebat *Favonium alterum*, quia non bene compositum par judicabat. Atqui videtur illud *mirus civis* ipsam hanc summam compositionis discrepantiam exigere. Igitur, non longe abeuntes ab explicatione Gräteri, in continuata Wieland. versione Epist. Cic. T. VI. p. 450. *Favonium Asinium* idem fere significare statuamus, quasi dicas Pompejum Caesarianum: ut sententia huc redeat: tam mirus civis est Quintus, ac tantopere sibi discors et contrarius, ut eum duarum simul maxime dissidentium inter se partium nominibus ornes.

trocinium in suae factionis restitutione ponendam opinarentur. Quae stultitia alterarum partium bonos coëgit videre, ne idem suae salutis, quod reip., naufragium facerent. Enimuero Senatus, post repulsum de Mutinae obsessione Antonium, et liberatum Dec. Brutum, palam factis declaravit, se in rep. administranda Pompejanarum duci amore partium; Caesarianos contra se velle omni honore ac dignitate spoliare. Quod primum in Octaviano male habendo, dein erga reliquos ejusdem factionis auctores eodem modo patefactum est: quos aut suspiciosius diffidendo, aut apertâ injuriâ, Senatus a se abalienabat. Igitur iam ante proelium Mutinense Pollio queritur, Epist. 31. *Consules neque Senatusconsulto, neque literis praeceperant mihi, quid facerem. Unas enim post Idus Martias demum a Pansa literas accepi, in quibus hortatur me, ut Senatui scribam, me et exercitum in potestate ejus futurum:* Epist. 32. *respublica, si me satis novisset, et major pars Senatus, majores ex me fructus tulisset:* postea, Epist. 33: *utinam*, inquit, *eodem Senatusconsulto, quo Plancum et Lepidum in Italiam arcessistis, me quoque jussissetis venire. Profecto non accepisset resp. hoc vulnus.* Porro vel minus attendentem excitarunt monita Octaviani: cujus mox insecuta cum Antonio consociatio omnium omnia reip. conservandae studia hebetare debuit ac penitus exstinguere. Unde Asinius exsequi non potuit, quod post Mutinensem cladem se facturum promiserat, Epist. 33.

 ne-

nemini nostrum cessandum est, nec exspectandum, quid decernat Senatus. Res enim cogit huic tanto incendio succurrere omnes, qui aut imperium, aut nomen denique populi Romani salvum volunt esse: — cum nihil sit periculosius, quam spatium confirmandi sese Antonio dare. Quominus autem ante confectum proelium ex provincia se moveret, ejus rei ratio cum haec fuit, quod nullo Senatusconsulto arcessitus erat, tum alia, quam item ad Ciceronem perscripsit, Epist. laud.: *verebar*, inquit, *ne, si ante, quam ego incoepta perficerem, proelium confectum esset, pium meum consilium raperent in contrariam partem obtrectatores mei, propter amicitiam, quae mihi cum Antonio — fuit.* Metuebat scilicet, ne adventum ejus multi ad consilium opem Antonio ferendi interpretarentur.

Desperatâ libertate, singulis non alia propior fuit cura, quam expediendae suae salutis; Pollioni praesertim, qui prodesse nihil poterat, neque mederi. Qua de re ad Antonii amicitiam, quam reip. causa deseruerat, iterum se contulit. Tanta enim supervenerat rerum conversio, ut, quod paulo ante, Epist. 33., *neque deesse, neque superesse reip. se velle*, ex magni fiducia animi professus fuerat, nunc jam ne volenti quidem praestare integrum esset.

Quod autem in epistolis ad Ciceronem Asinius odium testatus fuerat Antonii, id eam ob causam et dixisse et sensisse cogitandus est, quoniam Antonius reip. libertatisque interitum palam meditabatur. Neque dubitamus verba Epistolae 31., in qui-

quibus Ernesti, vir summus, sermonem esse putabat de Balbo aut alio quo Caesariano, cum Manutio ad Antonium referre: *ne movear ejus sermonibus, quem tametsi nemo est, qui videre velit, tamen nequaquam proinde ac dignus est, oderunt homines, periculum non est. Adeo est enim invisus mihi, ut nihil non acerbum putem, quod commune cum illo sit.* Et paratum fuisse Asinium, qua fuit animi magnitudine et ferocia, existimamus, qui, si succurrere potuisset, remp. potius, quam veterem cum Antonio necessitudinem, tuendam sibi sumsisset. Sed neque erat haec Asinio potestas, et altius haerebat in ipsis reip. visceribus serpentis mali vitium, quam quod ulla unquam medela potuisset sanari.

His constare arbitror, Pollionem Asinium, si a Caesarianorum fuit partibus, quarum sequendarum causas et magnas et justas habuit, nihilo minus patriae, honestatis, communis salutis fuisse amantem: sed eum, quem temporum iniquitas, non suus animus, cum reip. proditoribus, post absumtam civium libertatem, copulaverit.

Quibus ita perspectis apparet, Vellejum, quod multus sit, in insignis viri memoria ornanda, e rei veritate duxisse testimonii auctoritatem: neque est Asinii virtus cum Planci perfidia ac foeditate comparanda. vid. Gronov. ad Tacit. I. 12. sed coll. Ruhnken. ad Vellej. II. 63. § 3.

Ab hoc inde tempore non resp., quae nulla erat, sed privatae amicitiae officiique necessitudi-

nes omnem Asinii cogitandi faciendique rationem gubernarunt. Igitur qua fide Antonium coluerit, historia docuit. Eumdem Cleopatrae amore enervatum, et ad omnem se abjicientem turpitudinem, sibi reliquit, nec tamen veteris amicitiae proditor, invitante Augusto, esse voluit. In quod factum cum intueor, quid aliis accidat, nescio, mihi certe ita in animum induxi, non minus laudandam esse hanc Asinii Pollionis generosam constantiam, cum pari conjunctam pietate, quam Messalae institutum, qui, quod semper meliorum esse partium vellet, et ad Philippos fortissime contra Octavianum, et ad Actium pro Octaviano contra Antonium dimicavit.

PARS

PARS ALTERA.

DE ASINII POLLIONIS STUDIIS DOCTRINAE.

CAPUT I.

DE ASINIO POLLIONE ORATORE UNIVERSE.

Quandoquidem eloquentiae apud aliquem populum iter ac progressus commode aetatum intervallis ita potest distingui, ut singula spatia praecipuis quibusdam conversionum momentis notentur, Oratorem Pollionem, quocumque tandem modo Romanae historiam eloquentiae ordines, duae aetates sibi vindicant. Conversionum enim rationem sive describas facultatis dicendi ortu, incrementis, lapsu, universe, sive habita unius cujusdam partis ratione peculiariter, quo ex genere divisio est ve-

te-

terum, ut usque ad Cassium Severum terminus proferatur antiquae, i. e. optimae ac germanae facundiae, apud Auctor. dial. de Orat. c. 19. conf. c. 26., id constat, reip. Romanae casum tantas omni eloquentiae importasse, tamque insignes mutationes, ut ab eo imprimis tempore nova aetas ordienda sit. Ex priorum temporum felicitate unius orationis, ab Asinio habitae, argumentum superest; item alterius, temporibus triumviralibus dictae: ab Augusti inde imperio plures eum causas orasse ex auctorum testimoniis et fragmentis nonnullis compertum habemus. Accidit vero hac eloquentiae calamitate non tantum, ut ipsa a vera dicendi via deflecteret, atque ex infinitae pene ditionis amplitudine, in arctum sane gyrum compelleretur, verum etiam, ut in Scholarum ac Rhetorum conventus, parum dignum perfugium, recederet: cujus rei princeps est in Asinio Pollione exemplum, qui inter Scholasticos apud Senecam Rhetorem declamitans invenitur. Itaque hujus Capitis duae Sectiones faciendae erant: quarum unâ de Asinio Pollione Oratore, in verarum actione causarum florente, explicabimus: in alterâ de ejus declamandi studio, deque toto hoc umbratilis eloquentiae negotio disputabimus.

SECTIO I.

De Asinio Pollione Oratore.

Accusandi defendendique officium quo vinculo cum reip. summa nexum atque conjunctum fuerit, nemo est in historia Romana omnique antiquitate adeo hospes, qui ignoret. Summi viri et in administrationis arce positi, hac forensi opera, velut ministrâ, ita utebantur, ut eam ad regenda juvandaque consilia sua reip. gerendae converterent. In qua causa illud imprimis animadvertendum est, historiam reip. Romanae, uti omnium fere rerumpublicarum, historiam esse factionum, quarum mutuae contentiones, discordiae, conversiones, omnem internae administrationis formam moderentur. Quo factum est, ut factionis alicujus sive salus, sive ruina, saepenumero in accusatorum patronorumve in judiciis victoriâ, posita fuerit. Unde facile est ad intelligendum, a causarum, praesertim publicarum, patrociniis, quis fuerit ad ipsa civitatis gubernacula cursus, et ab his rursum ad judicia, tamquam adjumenta praesidiaque reip. de sua sententia temperandae, reditus. Sed quo fuerant antea actiones cum omni rep. junc-

tae

tae vinculo, id penitus solutum sublatumque est, Augusto rerum potito. Igitur, quo majoris est momenti, Asinii adversus Catonem institutam accusationem diligenter persequi, eo minoris omnium, postea ab eo habitarum, orationum argumenta facimus: quarum amplo catalogo et exploratissimâ notitiâ, si vel maxime superesset, unius Catonianae litis historiam, si fieri posset, libenter redimeremus. Ex hujusmodi enim judiciis, quibus magna parte continetur reip. Romanae hoc tempore status internus, accurate perspectis, dici non potest, quis fructus redeat ad rerum causas, momenta, consequentias, pervidendas. Cum iis enim interiora factionum ac principum consilia arctissime cohaerebant, ut per ea nos insinuemus in omnem machinationum artificiorumque rationem, quibus partium altera alteri insidiabatur: et sic cursum filumque causarum, quae, tamquam serpens malum, reip. Romanae lapsum et interitum praepararunt, teneamus. Quo magis dolendum est, nos in his domesticis actionibus, consiliorumque fontibus, contentos esse debere indiciis quibusdam et igniculis, quae, indagandi studio excitato, mox investigatorem destituunt falluntque, nec pleniorem historiae veritatisque lucem afferunt. Sed in rem praesentem veniamus, et actionis in Catonem, quam primam Asinius habuit, causam ac tempora explicemus.

C. Cato, M. Catonis Uticensis affinis, adolescens nullius consilii, sed tamen Cato, et Optimatium partes secutus, anno U. C. 694. Gabinium, Cos. designatum, de ambitu voluerat postulare, et cum Praetores diebus aliquot adiri non possent, Pompejum privatus Dictatorem appellaverat. vid. Cic. ad Quint. I. 2. c. 5. Triennio post, anno U. C. 697, Coss. Cn. Cornelio Lentulo Marcellino, L. Marcio Philippo, tribunus pl., primo Optimatium factionem adjuvit in causa Ptolemaei Auletae, quae Senatum annis 696 et 697 exercebat. Regem enim Alexandria pulsum, in regnum reducendi potestatem aemuli sibi petebant P. Corn. Lentulus Spinther, Proconsul Ciliciae ac Cypri, et Pompejus M., imperio militari aliquo cupiens ornari, quo Caesaris crescenti armis auctoritati velut manum injiceret. Pompejum nolebant Optimates hac nova potentiae accessione augeri: igitur religio ad partes vocatur, cujus auxilio tota res tamquam divinitus impeditur. vid. Cic. ad Div. I. 2. 4. 5. ad Quint. II. 2. 3. 6. conf. Plutarch. in Pompej. p. 645. D. E. Dio XXXIX. 12—17. et Fabricius in notis. L. Fenestella apud Nonium, C. IV. n. 403. v. *Rumor*. p. 701, 702. Auctt. Ling. Lat. Gothofred. Inde in conventu ad Luccam postquam a Pompejo, Caesare, et Crasso decretum erat, ut Pompejus et Crassus in sequentem annum Consulatum peterent, quo invalescens Senatus auctoritas frangeretur, et Domitius Aheno-

 bar-

barbus arceretur (1), Cato a rep. defecit, seque Triumviris vendidit. Pompejo igitur et Crasso, quibus nulla spes erat Consulatus adipiscendi, si legitime peterent, ita auxiliatus est, ut, adjutore collega Suffenate, comitia magistratuum creandorum differret, et rem ad interregnum adduceret. vid. Cic. ad Quint. II. 6. Dio l. l. c. 27, 28. Liv. Epit. L. CV. Qui de hoc Tribunatu Catonem postulare volebant, rem distulisse videntur in annum alterum, ne in Pompeji et Crassi, quos Cato juverat, Consulatu offenderent. Igitur accusatur anno 699, L. Domitio Ahenobarbo, Appio Claudio Pulchro Coss. (2); duplici actione: unâ, lege Juniâ Liciniâ, quae est de modo legum promulgandarum per trinundinum (3); alterâ, Fufiâ, qua sancitum fuerat, ne omnibus diebus fastis legem ferre liceret (4). Ab hac lite Asinius, annum aetatis agens alterum et vicesimum (5), oratoriam laudem auspicatus est; quoniam pestem intestinam propulsare instituit, cum propugnatori-

(1) Vid. Cic. ad Div. I. 9. Plutarch. in Crasso, p. 551. E. F. in Pompej. p. 646. C. D. in Caes. p. 718. B. C. in Cat. min. p. 778. E. F. Dio l. l. c. 36, 37, 38. Appian. de B. C. II. 17. Suet. in Caes. c. 24. Vellej. II. 46. § 1.

(2) Ascon. in argum. Orat. Cic. pro Scauro, p. 1003.

(3) Vid. Bachius, L. II. C. II. § 82. Ernest. in Indice Legg.

(4) Vid. Bachius l. l. § 44. Ernest. l. l. et vid. Cic. ad Att. IV. 16.

(5) Vid. Auct. dial. de Orat. c. 34. Quinctil. I. O. XII. 6. p. 1071.

ribus patriae comparandus. Clarorum enim juvenum exempla secutus, *qui crediti sunt obsidem reip. dare, malorum civium accusationem* (1), fortiter ausus est reip. utilitatem contra Pompeji Crassique potentiam vindicare. Pro Catone dixerunt C. Licinius Calvus (2), cui Crassus favebat (3), et M. Scaurus, ex provincia Sardinia reversus, Pompejo vehementer gratus (4): Procilium, Catonis in Tribunatu collegam, criminatus est Clodius (5), defendit Q. Hortensius (6). Pollio autem, quamvis praeclarâ oratione, quae Caesarum adhuc temporibus cum admiratione legebatur (7), reum oppugnasset, non potuit tamen bonam causam contra Pompeji et Crassi auctoritatem tueri. Absoluti sunt Suffenas et Cato a. d. III. Non. Quint. (8); turpi documento cadentis reip., in qua legum reverentia nulla, praepotens quorumdam arbitrium pro lege erat (9).

Tem-

(1) Quinctil. l. l. c. 7. p. 1074.

(2) Senec. L. III. Controv. XIX. p. 256, 257.

(3) Conf. de Burigny, Mem. sur Calvus, in Mem. de l'Acad. d. Inscript. T. XXXI. p. 122. sqq.

(4) Vid. Ascon. l. l.

(5) Cic. ad Att. IV. 15.

(6) ad quam sententiam locum in Cic. epist. laud. interpretatur Vir doct. Luzac, de Hortens. Sect. I. § 39. p. 80.

(7) Vid. Auct. dial. de Orat. l. l.

(8) Cic. ad Att. l. l. epist. 15, 16. Ascon. l. l.

(9) Vid. Cic. ad Att. l. l. epist. 15. 17. Cato prius absolutus est lege Juniâ Liciniâ: Fufiâ eum absolutum iri, Cicero Attico

 nun-

Temporibus triumviralibus Asinius orationem habuit *pro Lamia*, quae dein edita est. vid. Senec. Suasor. VI. p. 42. Fuit is, ut credibile est, L. Aelius Lamia, familiaris Ciceronis, quem hic in epist. ad Div. XI. 16, 17. commendat D. Bruto, et epist. ad Div. XII. 9. Cornificio: ab A. Gabinio Cos. relegatus anno U. C. 695. (1): aedilis anno U. C. 708. (2), Praetor anno 711. (3); siquidem is sit Praetorius, quem Valerius L. I. c. 8. ex. 12., ac Plinius, H. N. VI. 52. memorant. In hac editâ oratione Pollio Ciceronis famam vehementer infestaverat. Cum enim in scholis aliquando ad declamandum poneretur suasoria, an promittente salutem Antonio Tullius orationes suas comburat, atque in hoc argumentum ne incidissent quidem unquam homines, nisi Pollio auctor fuisset, Asinius eo, maledicentiae dicam an furoris, progressus est, ut ipsam rem historice affirmaret. Etenim in oratione laudata, *itaque nunquam*,

nuntiat: *neque patronis suis tam libentibus, quam accusatoribus.* Eum tamen significat secum et cum Milone in gratiam rediisse, ibid. epist. 16. Harum rerum nexum, quemadmodum etiam locum huc pertinentem epist. 15., *ex quo intellectum est* etc., de cujus obscuritate queritur Ernesti, expedire satis non possumus, quia historiae nonnisi tenuia quaedam ac rara vestigia deprehendimus.

(1) Vid. Cic. l. l. XI. 16. XII. 29. post red. in Sen. c. 5. pro Sext. c. 3.

(2) Cic. ad Div. XI. 16, 17. conf. Pigh. Annal. T. III. p. 406.

(3) Cic. in epist. laudd. conf. Pigh. l. l. p. 481.

quam, inquit, *perficeret* (1), *nec mora fuit, quin ejuraret* (2), *quas cupidissime effuderat, orationes in Antonium, multiplicesque numero, et accuratius scriptas illis contrarias edere, ac vel ipse palam pro concione recitare, pollicebatur.* His alia sordidiora multo addidit, adeo manifeste falsa, ut ne ipse quidem Pollio in historiis suis ponere ausus fuerit. vid. Senec. l. l. Insuper *huic actioni ejus pro Lamia, qui interfuerunt, negant eum haec dixisse, (nec enim mentiri sub triumvirorum conscientia sustinebat), sed postea composuisse:* verba sunt Senecae l. l.

Imperii Augusti temporibus defendit Asinius *Nonium Asprenatem*, veneficii reum. Fuit is probabiliter idem, qui in C. Julii Caesaris expeditione Africana exercitui praeërat Proconsul, i. e. proconsulari imperio. vid. Hirtius, de bell. Afr. c. 80. et ad h. l. Oudendorp.: arctius dein junctus Augusto. vid. Suet. in Aug. c. 56. Hujus filium, ut videtur (3), C. Nonium Asprenatem, in Trojae

(1) Correxit Hamaker V. Cl. *Istas quidem nunquam perfecerat:* unde haec loci nascitur sententia: orationes quidem Philippicas nunquam se perfecisse, neque adeo edidisse, Cicero asseruerit: quae autem in hominum manibus sint hoc nomine orationes, earum se ejuraturum auctoritatem, ac scripturum contrarias, quae contractam suspicionem tollant.

(2) Ex correctione J. F. Gronovii ad h. l.

(3) Nam temporum ratio non jubet, ut cum Glandorpio, in Onomast. in v. p. 626. nepotem faciamus.

jae ludicro lapsu debilitatum, Augustus aureo torque donavit, passusque est ipsum posterosque Torquati ferre cognomen. Suet. l. l. c. 43. Factus est dein P. Nonius Asprenas Cos. cum M. Aquillio Juliano sub Caligula, anno 790, vid. Pigh. Annal. ad h. a. p. 566: et L. Nonius Asprenas sub Domitiano, anno 846: unde *Asprenatum consularem domum* vocare potuit Plinius, H. N. XXX. 7. Veneficii reo objecit Cassius Severus accusator, eum veneno triginta et centum convivas necasse. vid. Plin. H. N. XXXV. 12. extr. Quo facto Augustus consuluit Senatum, quid officii sui putaret: cunctari enim se, ne, si superesset, eriperet legibus reum: sin deësset, destituere ac praedamnare amicum existimaretur. Et consentientibus universis, sedit in subselliis per aliquot horas: verum tacite, ac ne laudatione quidem judiciali data. Suet. in Aug. c. 56. Causam rei tuendam sibi sumsit Asinius Pollio; cujus oratio et Cassii contraria Quinctiliani aetate supererant, quas harum rerum studiosis commendat legendas, I. O. X. 1. p. 883. Ut Cassius amarior semper et acerbior erat, vid. Quinctil. I. O. VI. 1. p. 534, 535. X. 1. p. 918. XII. 10. p. 1088., ita asperius, quam accusatorem decebat, in orationis exordio posuit; *Dii boni, vivo: et, quo me vivere juvet, Asprenatem reum video:* vid. Quinct. XI. 1. p. 973. Quamquam multi, quos Cassius reos faciebat, absolvebantur, unde lusus Augusti apud Macrob. Saturn. II. 1., tamen de

hu-

jus exitu litis nihil constat. Attamen si conjicere fas sit ex Augusti cum reo necessitudine, et posterorum dignitatibus, et Pollionis, magna tum auctoritate conspicui, patrocinio, Cassius inanem operam in criminandi vehementia comsumsit.

Dixit Asinius in alia etiam veneficii causa, reo *Moscho*, Pergameno Rhetore. In eadem lite egit Manlius Torquatus, quem Horatius Epist. I. 5. ad coenam invitans, monet, v. 8, 9.

Mitte levis spes, et certamina divitiarum,
Et Moschi causam;

ad quem locum Porphyrio, *hic*, inquit, *Pergamenus rhetor notissimus, reus veneficii fuit, cuius causam ex primis tunc Oratores egerunt, Torquatus hic, de quo nunc Poeta dicit, et Asinius Pollio.* conf. Acron ibid. et Scholiast. J. Cruquii, ad h. l. edit. Rapheleng. 1611. p. 529. Rhetor iste notissimus, unus omnium nobis maxime ignotus est. Ad Torquatum (filium, ut videtur, ejus, quo Cos. natus est Horatius, quem adeo *suum* vocat Epod. XIII. 6.) scripsit quoque Poeta Carm. VII. Libri IV, in eo laudans genus, facundiam, pietatem. v. 22.

Tertium fuit Asinii Pollionis patrocinium in causâ veneficii: nam defendit *Apollodorum*, hujus criminis reum, sed eodem judicio damnatum. vid. Seneca L. II. Controv. XIII. p. 202. Fuit Apol-

lo-

lodorus itidem Pergamenus Rhetor, praeceptor Augusti (1), artis Rhetoricae scriptor celeberrimus (2); a cujus cum Theodoro Gadareno (3), magistro Tiberii (4), dissensu manarunt sectae *Apollodoreorum* et *Theodoreorum* (5), ad imitationem familiarum in philosophia diversas sententias sequentium (6). Condemnatus Apollodorus Massiliam concessit, ibique docuit. Senec. l. l. L. II. Controv. XIII. p. 202.

Mediis Augusti temporibus, postquam longa temporum quies, et continuum populi otium, et as-

(1) Suet. in Aug. c. 89. Quinctil. III. 1. p. 216. Strabo L. XIII. p. 927. B. Hieronym. in Chron. Euseb. ad a. MDCCCCLIII.

(2) Vid. Quinctil. l. l. Strabo l. l. Auct. dial. de Orat. c. 19.

(3) Vid. Strabo L. XVI. p. 1101. A. Quinctil. l. l. Suidas v. Θεόδωρος. T. II. p. 176.

(4) Suet. in Tiber. c. 57. Quinct. l. l. conf. Casaub. ad Suet. l. l. sed coll. Philipp. Beroald. Annotat. in Lamp. Crit. J. Gruter. T. I. p. 240. Hieronym. in Chron. Euseb. ad a. MDCCCCLXXXVI.

(5) Similes sectae fuerunt *Hermagoreorum* et *Frontonianorum*: de quarum alterâ videndus est Niebühr, de M. Corn. Frontone ejusque scriptis, p. XXIII. in ejus editione Frontonis.

(6) Vid. Strabo L. XIII. p. 927. B. Quinctil. l. l. p. 216, 217. II. 9. p. 165, 166. et V. V. D. D. ad h. l. III. 11. p. 295. V. 13. p. 477. III. 3. p. 223. Sententias Apollodori diversas a Theodoreis memorant Quinctil. III. 6. p. 247. 251. c. 11. p. 291. 293. V. 13. p. 477. Senec. L. II. Controv. IX. p. 166, 167. Fortunatian. Art. Rhet. L. I. p. 53. Rhet. Pithoei. et Aurel. Augustin. Princ. Rhet. p. 293. conf. p. 294, 295. ibid.

assidua Senatus tranquillitas, et maximi principis disciplina, ipsam quoque eloquentiam, sicut omnia alia, pacaverat, Asinius apud centumviros habuit orationes *pro haeredibus Urbiniae*. vid. Auct. dial. de Orat. c. 38. Quinctilianus I. O. VII. 2, p. 603, 604. *illud quoque*, inquit, *etiam non est ἀντικατηγορία, simili tamen ratione tractatur, in quo citra accusationem quaeritur, utrum factum sit. Utraque enim pars expositionem suam habet, atque eam tuetur: ut in lite Urbiniana petitor dicit*, Clusinium Figulum filium Urbiniae, acie victâ, in qua steterat, fugisse: jactatumque casibus variis, retentum etiam a rege, tandem in Italiam ac patriam suam Marginos venisse, atque ibi agnosci: *Pollio contra*, servisse eum Pisauri dominis duobus, medicinam factitasse, manumissum alienae se familiae venali immiscuisse, ac rogantem, ut eis serviret, emtum. *Nonne tota lis constat duarum causarum comparatione, et conjectura duplici atque diversa*? Alio loco p. 597. Quinctilianus ejusdem litis argumentum tangit: ubi ea, quae sunt praesentis temporis, si oculis deprehenduntur, non egere conjectura affirmans, *sed et illud*, inquit, *potest videri extra hoc propositum conjecturae genus, cum de aliquo homine quaeritur, quid sit: ut est quaesitum contra Urbi-*

niae haeredes, si is, qui tamquam filius petebat bona, Clusinius Figulus esset, an Sosipater: *nam et substantia ejus sub oculos venit, ut non possit quaeri, an sit: quomodo ultra oceanum, nec quid sit*, (scilicet, quaeritur), *nec quale sit, sed an quid sit. Verum hoc quoque genus litis ex praeterito pendet*, an hic sit ex Urbinia natus Clusinius Figulus. Habuit Asinius in hoc judicio adversarium Labienum, historicum; de quo vid. Schottus, de clar. apud Senec. Rhet. p. 18. et Vossius de Hist. Lat. L. I. c. 23. N. Fabri opinionem, ad Senec. L. V. Controv. Praefat. p. 349. not. 8., quasi is idem esse possit, qui a Caesare ad Pompejum transfugit, refutat Voss. l. l. Ex eadem certe familia fuit, ac Pompejanae studium factionis hereditarium tenuit. Laudat Quinctilianus I. O. I. 5. p. 53. orationem Labieni *in Pollionem*, quam tamen dubitat, utrum Cornelii Galli sit: forte enim libellus, non addito auctoris nomine exierat. Ipse Pollio in Labieno damnabat illud, *rebus agentibus*, quod dein evaluit, teste Quinctiliano IX. 3. p. 802. Quod autem Vossius l. l. his locis intelligi jubet non Asinium Pollionem, sed filium Asinium Gallum, id cum luculentis scriptorum testimoniis contrarium sit, fluxisse videtur ex errore quodam de arctiori vitae Pollionis spatio. Hunc igitur Asinius Labienum inter argumenta malae causae posuit. Quinctilianus IV. 1. p. 300. *etiam partis*, ait, *ad-*

adversae patronus dabit exordio materiem: interim cum honore, si eloquentiam ejus ac gratiam nos timere fingendo, ut ea suspecta sint judici, fecerimus: interim per contumeliam, sed hoc perquam raro, ut Asinius pro Urbiniae heredibus Labienum adversarii patronum inter argumenta malae causae posuit. Labieni enim summa egestas erat, summa infamia, summum odium; quippe qui per multa impedimenta eluctatus, ad famam ingenii, confitentibus magis hominibus, pervenerat, quam volentibus. Nemo erat, quin, tametsi omni hominem vituperio dignum judicaret, ingenio tamen ejus multum tribueret. Libertatem tantam sibi sumebat, ut libertatis nomen excederet: atque ipse, quia passim omnium ordinum homines laniabat, Rabienus vocaretur. Animus per vitia ingens, et ad similitudinem ingenii violentus, et qui Pompejanos spiritus nondum in tanta pace posuisset. Senec. l. l. p. 349, 350. A tali igitur patrono, quem ob Pompejanos spiritus Caesarianus odisse debebat, Asinius aptissime potuit argumenta malae causae mutuari. Habuit Pollio has orationes apud centumviros; et cum temporum lapsu neque Ciceronis, neque Caesaris, neque Bruti, neque Caelii, neque Calvi, non denique ullius magni Oratoris liber apud centumviros dictus legeretur, Auctor dialogi de Orat. c. 38. has pro Urbiniae heredibus orationes excipit. Earum auctoritate utitur Charisius, Inst. Gramm. L. I. p. 59. edit. Putsch. *Clipeus*, inquit, *masculino genere in sig-*

nificatione scuti ponitur, ut Labienus ait: neutro autem genere imaginem significat. Sed Asinius pro Urbiniae heredibus, imaginis clipeum *masculine dixit:* Clipeus praetextae imaginis positus. Ita enim N. Faber ad Senec. Excerpt. Controv. L. IV. Praefat. p. 442. not. 6. verissime restituit pro vulgata lectione, *de provinciae heredibus.*

Alio Asinius judicio dixit *pro Liburnia:* de quo praeter unum a Quinctiliano excerptum locum nihil tenemus. Magnam esse dicens rerum fictarum, atque adeo figurarum, in orationibus vim, *ut dicta,* inquit, I. O. IX. 2. p. 777, *quaedam, ita scripta quoque fingi solent: quod facit Asinius pro Liburnia:* Mater mea, quae mihi tum carissima, tum dulcissima fuit, quaeque mihi vixit, bisque eadem die mihi vitam dedit, *et reliqua deinde*, exheres esto. *Haec cum per se figura est, tum duplicatur, quoties, sicut in hac causa, ad imitationem alterius scripturae componitur. Nam contra recitabatur testamentum*, P. Novanius Gallio, cui ego omnia meritissimo volo et debeo, pro ejus animi in me summa voluntate, *et adjectis deinceps aliis*, heres esto. Imitatus fuerat Asinius formulam testamentorum conscribendorum: cujus figurae hoc imprimis loco egregius erat usus, ob recitatum ab adversario testamentum. conf. Turneb. ad h. l. Quis ille Gal-

lio

lio fuerit, assequatur, qui poterit, ex Schotto, de clar. ap. Senec. Rhet. p. 15, 16. et Burmanno ad Quinctil. l. l. et ad III. 1. p. 218.

Aliâ causâ Pollio defendit *M. Scaurum*, uterinum per matrem Muciam Sex. Pompeji fratrem, vid. Dio LI. 2. Ascon. in argument. Orat. Cic. pro Scauro p. 1003.; filium M. Aemilii Scauri, cui Cicero patrocinatus est; nepotem illius Scauri, qui princeps Senatûs fuit. Secutus erat hic Scaurus (1) partes Sex. Pompeji, a quo postea ad Antonium transfugit. vid. Appian. de B. C. V. 142. Inde in Antonii amicitiam receptus, ab Augusto, post praelium Actiacum, primum neci destinatur, dein propter matrem Muciam vitam obtinet. Dio l. l. et LVI. 38. Eum Asinius reum praecipue commendavit a meritis majorum, vid. Quinctil. I. O. VI. 1. p. 505: quemadmodum Cicero in patre instituerat. Quinctil. l. l. conf. Valer. Max. VIII. 1. ex. 10. et Aur. Augustin. Princ. Rhet. p. 301. Ex Pollionis oratione verba laudat Quinctilianus, IX. 2. p. 774: *nunquam fore credidi, judices, ut, reo Scauro, ne quid in ejus judicio gratia valeret, precarer.* Ceterum causae historiam ac tempus plane ignoramus.

Adversus *L. Munatium Plancum*, Ciceronis amicum

(1) In cujus filio (vid. Tacit. Annal. III. 66.), qui sub Tiberio clarus, a tyranno ad se necandum est compulsus (vid. Tacit. l. l. VI. 29.), Scaurorum familia exstincta est. vid. Seneca Suasor. II. p. 24.

cum ac discipulum, qui Dec. Brutum Antonio prodidit, ac dein in belli Actiaci apparatu ab Antonio ad Caesarem transfugit, Asinius Pollio orationes paravit, quae ab ipso aut liberis post mortem Planci ederentur, ne respondere posset: quod cum audisset Plancus, cum mortuis nonnisi larvas luctari, dixit. Quo dicto sic repercussit Asinii conatus, ut apud eruditos nihil impudentius judicaretur. Auctor est Plinius in Praefat. Hist. Nat. extr. conf. quae in simili causa scripta est Plinii minoris epistola, IX. 1.

Multas praeterea alias causas Asinius dixit: quarum vel titulos ignoramus. Ita novimus ex Quinctil. X. 1. p. 883., Pollionem ac Messalam defendisse eosdem, quos, quove judicio, defenderint, non scimus. Celsus ex oratione aliqua Asinii prooemium laudabat: *si, Caesar, ex omnibus mortalibus, qui sint ac fuerint, posset huic causae disceptator legi; non quisquam te potius optandus nobis fuit.* vid. Quinctil. IX. 4. p. 870. Hanc Celsus, qui uni quamdam huic parti formam dabat, optimam dicebat compositionem esse prooemii. Quinctilianus autem, quamquam hoc bene compositum judicet, tamen legem hanc esse componendi in omnibus principiis recusat: quia instituendum est prooemium varie, atque ut sensus postulabit. Quinctil. l. l. Ex alia actione locum, qui pertinuisse potest ad orationem *pro Liburnia*, aut alteram illam *pro Urbiniae heredibus*, excitat Quinctilianus I. O. IX. 2. p. 771. ad exem-

exemplum interrogationis ab Oratore usurpatae, instandi, et auferendae dissimulationis gratia; *Audisne? furiosum, inquam, non inofficiosum testamentum reprehendimus.* Citat porro Charisius, Inst. Gramm. L. I. v. *insequenti*, p. 108. edit. Putsch., *Pollionem ad Caesarem: Insequenti, Asinius Pollio ad Caesarem*, Primo insequenti die: alio loco, ibid. p. 75. *Asinium in Valerium, Lib.* I: *Hos pugillares et masculino genere, et semper pluraliter dicas, sicut Asinius in Valerium Lib.* I. Quia pugillus est, qui plures tabellas continet in seriem sitas. Ab eodem laudatur *Asinius contra maledicta Antonii*, ibid. p. 61. *Catinus masculino genere dicitur: — et hinc diminutive catillus fit: ut Asinius contra maledicta Antonii:* Volitantque urbe tota catilli: Auctor dial. de Orat. c. 21. orationem memorat Calvi *in Asitium*: quo loco Lipsius conjiciebat *Asinium;* Schultingius *Calvi ista in Asinium.* Facilis mutatio videtur, nec tamen ulla alia se probabilitate commendans. Tota sensûs ratio obscurius nomen poscit: igitur malimus *Asidium* legere, ut intelligatur Sabinus Asidius, *venustissimus inter Rhetores scurra*, cujus sententia refertur a Seneca, Suasor. II. p. 18. Aliis locis Asinii auctoritas affertur in vocabulis nonnullis aut formulis dicendi: quemadmodum a Quinctiliano, I. O. VIII. 3. p. 690. *Nec a verbis modo, sed a nominibus quoque derivata sunt quaedam, ut a Cicerone* sullaturit, *et ab Asinio*,

nio, fimbriaturit, *et* figulaturit. Ibid. I. 6. p. 83. *hos lodices* Pollioni placuisse dicitur. Charisius, l. l. p. 46. *Genitivus*, inquit, *pluralis cum ratione* vectigalium *facit*; *auctores tamen* vectigaliorum *dixerunt: ut Asinius*: vectigaliorum reip. curam esse habendam: ita enim legendum est pro *habendum* ex p. 119. ubi eadem Asinii verba citantur: Macrobius item, Saturn. I. 4. notavit *vectigaliorum* ab Asinio Pollione frequenter usurpari. Priscianus L. VIII. p. 792. *Asinius Pollio*: sed cum ob ea, quae speraveram, dolebam, consolabar ob ea, quae timui; consolabar *passive protulit*. Idem, ibid. p. 793., *Asinius*: cujus experta virtus bello Germaniae traducto ad custodiam Illyrici est; experta *passive*; ubi legendum est *traducta*. Ad eumdem Pollionem referri potest, quod scribit Priscianus, L. X. p. 888. Nanciscor *etiam* nactum *facit*, *absque* n, *ut Probo et Capro et Pollioni et Plinio placet*.

Superest, ut veterum de Asinii Pollionis eloquentia judicia exponamus.

Pollio *princeps Orator* dicitur a Plinio, H. N. VII. 30. *Orator magnus* a Seneca, de tranq. anim. c. 15.,

Insigne moestis praesidium reis,
Et consulenti Pollio curiae:

Ho-

Horatio, Carm. L. II. Od. I. 13, 14. egregius Orator praedicatur a Seneca Rhet. Excerpt. Controv. L. IV. Praefat. p. 441, 442. Auctor dial. de Orat. c. 25. Ciceronem quidem judicat ceteros eorumdem temporum disertos antecessisse, Calvum autem et Asinium, et Caesarem, et Coelium, et Brutum, suo jure, et prioribus et sequentibus anteponi. Sed adstrictiorem Calvum censet, numerosiorem Asinium, splendidiorem Caesarem, amariorem Coelium, graviorem Brutum, vehementiorem, et pleniorem, et valentiorem Ciceronem: in quibus tamen omnibus eamdem eloquentiae sanitatem reperias: ut si omnium pariter libros in manum sumseris, scias, quamvis in diversis ingeniis, esse quamdam judicii ac voluntatis similitudinem et cognationem.

Praecipuam autem dicendi virtutem, et velut characterem, Asinius habuit *diligentiam*: quae summa in eo fuit, ac tanta, *ut quibusdam etiam nimia videretur*. Quinctilian. I. O. X. 1. p. 917. ibid. c. 2. p. 928. XII. 10. p. 1088.

Diligentia aliquoties universe ad omnes Oratorii muneris partes refertur (1); aliquoties ad collocationem rerum inventarum (2); verum proprie ad

(1) Ut apud Cic. de Orat. II. 35. Hujus diligentiae pars e. g. est *diligentia scribendi*: vid. Quinctil. I. O. X. 1. p. 877. c. 3. p. 937.

(2) Apud Cic. Orat. c. 15. in Brut. c. 66, 67. ubi *accuratio* dicitur: ibid. c. 70. conf. Senec. Controv. L. V. Praefat. p. 355.

ad delectum verborum, eorumque compositionem ac structuram (1): quo adeo sensu *diligentia* Pollionis laudatur. Hinc, cum imitantes saepe proxima virtutibus vitia comprehendant, *qui horride atque incomposite quidlibet frigidum illud et inane extulerunt, antiquis se pares credunt; qui carent cultu atque sententiis, Atticis scilicet: qui praecisis conclusionibus obscuri, Sallustium atque Thucydidem superant: tristes ac jejuni Pollionem imitantur; otiosi et supini, si quid modo longius circumduxerunt, jurant ita Ciceronem locuturum fuisse*: verba sunt Quinctiliani, I. O. X. 2. p. 926. Ut vero orationis vitia, judice Quinctiliano, VIII. 3. p. 698., facillime fiunt manifesta contrariis virtutibus, sic contra virtutum ratio optime contrariis vitiis aperitur. Igitur cum bonorum Oratorum, auctore Cicerone in Brut. c. 55., duo genera sint, unum attenuate presseque, alterum, sublate ampleque dicentium, ac presso illi Oratori, qualis Asinius Pollio fuit, cavenda maxime sit inopia et jejunitas sive siccitas, vid. ibid.

(1) Vid. Cic. Orat. c. 44. sqq. c. 68. sqq. conf. c. 23. in Brut. c. 37, 38. 45. Quinctil. I. O. IV. 2. p. 347. IX. 4. p. 853. quo loco Plato dicitur, quamquam *diligentissimus compositionis*, versus tamen in oratione vitare non potuisse. De hujus diligentiae praeceptis vid. Quinctil. X. 3. imprimis p. 930, 931. Diligenter loquendi laudi opponitur *inquinate dicere*; vid. Cic. in Brut. c. 37. In nimiae diligentiae studio et affectatione propria sunt vocabula, *calumnia*, *calumniari*. vid. ll. ll. ab Ernesti in Lex. Techn. Lat. Rhet. v. *calumniari*.

ibid. conf. c. 82—85, proclive fuit, ut Pollionis imitatores in vicinum diligentiae vitium delaberentur. In Isocrate, quemadmodum in Pollione, fere notatur nimia diligentia: unde Dionys. Halicarn. in Dinarcho p. 115. *οἱ δ' Ἰσοκράτην*, inquit, *καὶ τὰ Ἰσοκράτους ἀποτυπώσασθαι θελήσαντες, ὕπτιοι, καὶ ψυχροὶ, καὶ ἀσύστροφοι, καὶ ἀναλθεῖς· οὗτοι δ' εἰσὶν οἱ περὶ Τίμαιον, καὶ Ψάωνα* (1), *καὶ Σωσιγένην.* Neque adeo dicendi genus copiosum, quod opponitur jejuno, aut hilare, cui contrarium est triste, ullo modo consentit cum summo diligentiae studio. Nam nimia cura adstringit orationem, nec efflorescere eam sinit. Certe cum Quinctiliani de Asinianae eloquentiae notâ judicio eximie convenit Rhetoris Senecae sententia, Excerpt. Controv. L. IV. Praefat. p. 441, 442: Asinius Pollio *floridior erat aliquando in declamando, quam in agendo: illud strictum ejus et asperum, et nimis ratum in dicendo judicium, adeo cessabat, ut in multis illi veniâ opus esset, quae ab ipso vix impetrabatur;* neque abhorret philosophi censura, Epist. C.: *Pollionis Asinii compositio est salebrosa et exsiliens, et ubi minime exspectes, relictura. Denique apud Ciceronem omnia desinunt; apud Pollionem cadunt* (2); *exceptis paucissimis, quae ad*

(1) Ex verissimâ Ruhnkenii conjectura pro Πλάτωνα: vid. Hist. Crit. Orat. Graec. p. 62.

(2) Quae sit horum vocabulorum, *desinere* et *cadere*, vis, explicuit Ernesti in Lex. Techn. Lat. Rhet. v. *cadere*.

ad certum modum et ad unum exemplar adstricta sunt. Quo tamen in judicio observemus oportet, auctoris consilium id spectare, ut Ciceronis compositionem cum Asiniana contendat: quae comparatio minus Asinianae orationis praestantiam, quam prae Ciceroniana defectum prodere debuit.

Auctor dial. de Orat. c. 25. Ciceronem, Calvum, Asinium, Caesarem, Coelium, Brutum, genere consentire, specie ita differre statuit, ut strictior sit Calvus, *numerosior* Asinius, etc. Quo loco Schelius pro *numerosior* reponere tentabat *morosior;* sed frustra, invito Morhofio, de Patavin. Liv. c. IV. p. 40., qui Asinium hoc novo morositatis vituperio augeri cupiebat. Quod autem Schelius et Morhofius hac conjectura uti voluerunt, ut auctor laudati dialogi secum ipse in consensum rediret, qui c. 21; *videtur*, inquit, *mihi Asinius inter Menenios et Appios studuisse. Pacuvium certe, et Attium, non solum tragoediis, sed etiam orationibus suis expressit: adeo durus et siccus est:* id non reputantes fecerunt, pronuntiari hanc sententiam ex persona Apri, qui malignius, quam verius, antiquos oratores insectatur. Neque obest huic numerositatis laudi judicium Senecae philosophi, Epist. C., si ante factam observationem ad partes vocemus (1). Confirmat vero Auc-

(1) Ne homines, lecto Schelii loco in Annotat. ad dial. laud. c. 26. not. 14. et Morhofii, in errorem incidant, monendum est, quem Schelius locum ex Quinctiliano laudat, in quo Asinius di-

Auctoris dial. de Orat. testimonium Quinctilianus, I. O. IX. 4. p. 853. versus in oratione animadvertens, praecipue hexametros, imprudenti fere excidere; *quos Brutus*, ipso componendi ductus studio, *saepissime facit, non raro Asinius, sed etiam Cicero nonnunquam.* Habet enim diligens cura componendi, praesertim in oratione numeris ac rythmo apte vincienda, magnas versuum dicendorum insidias: quamquam omne hoc genus vitiosum sit, et longa animi provisione fugiendum. vid. Cic. Orat. c. 56, 57. 68. Quinctil. l. l. p. 852. sqq.

Praeter summam diligentiam Quinctilianus, X. 1. p. 917. Asinio tribuit *multam inventionem, et consilii et animi satis. Inventio* quae sit, quantaeque in omni oratione auctoritatis, notior res est, quam de qua explicari debeat. Neque fugere quemquam existimo, ab hoc palmario officio, orationisque virtute, Oratores praecipue censeri solere. conf. Ernesti, in Lex. laud. v. *inventio. Consilii et animi satis*, non dicitur ex quadam disciplinae formula, sed communi ac vulgari voca-

dicatur, currentes in oratione numeros inhibuisse, ut teneram delicatamque modulandi voluptatem refugeret, in Quinctiliano non exstare: nisi quod hoc idem tradatur de Domitio Afro, I. O. IX. 4. p. 837. Accidit autem Morhofio, quod multis usu venire solet, qui aliorum industriâ ad otiandum abutuntur, ut, Quinctiliano ne inspecto quidem, falsum testimonium a Schelio mutuaretur.

cabulorum usu: ut prius pertineat ad prudentiam Oratoris, ingeniique vim, qua universam orationem regit et illuminat: posterius ad affectus permovendos concitandosque, et expressam in ipsa oratione dicentis contentionem. conf. Cic. in Brut. c. 66. 77.

Quamvis magnus Orator Pollio, et in eadem adhuc, qua Cicero, sanitate eloquentiae florens, attamen *a nitore et jucunditate Ciceronis ita longe abfuit, ut videri posset seculo prior.* Quinctil. l. l. X. 1. p. 917. Hoc igitur colore potuit Aper, in dial. de Orat. l. l., Asinii dictionem siccitatis ac duritatis arguere, quasi sapiat Meneniorum Appiorumque aetatem. Ac fecit summa ejus diligentia, quae eloquentiam velut compedibus ligat, ut nunquam ad istam orationis laetitiam ubertatemque adsurgeret, quae se in Cicerone effundit.

Mos Asinio fuit, fidem faciente Quinctiliano, nobilium poetarum versibus orationes suas ornare. Sed praestat ipsa Quinctiliani, l. 8. p. 96., verba apponere. *Credamus*, inquit, *summis Oratoribus, qui veterum poemata, vel ad fidem causarum, vel ad ornamentum eloquentiae assumunt. Nam praecipue quidem apud Ciceronem, frequenter tamen apud Asinium etiam, et ceteros, qui sunt proximi, videmus Ennii, Accii, Pacuvii, Lucilii, Terentii, Caecilii, et aliorum inseri versus, summa non eruditionis modo gratia, sed etiam jucunditatis: cum poeticis voluptatibus aures a foren-*

rensi asperitate respirent, quibus accedit non mediocris utilitas, cum sententiis eorum, velut quibusdam testimoniis, quae proposuere, confirment. conf. X. 1. p. 879.

Eloquentiae ingeniique dotibus adjunxit Asinius optimum dicendi magistrum, usum; quem frequentem habuit. Igitur cum multi, parvo ingenio, literis nullis, ut bene agerent, agendo consecuti sint, notabile est dictum, quod Plinius alter, Epist. VI. 29. n. 4, 5., vel Pollionis, vel tamquam Pollionis, se accepisse scribit: *commode agendo factum est, ut saepe agerem; saepe agendo, ut minus commode:* quod Plinius, ipse verissimum expertus, ita exponit, ut assiduitate nimia facilitas magis, quam facultas, nec fiducia, sed temeritas paretur. Ceterum statuit Pollio, omnem orationis facilitatem verborumque copiam ex rerum demum cognitione redundare: in quam sententiam egregie dixisse fertur: *Male hercle eveniat verbis, nisi rem sequantur.* Dictum servavit Scholiast. Cruquii ad Horat. A. P. 311. p. 633. Ex Asiniano expressum est Horatianum, A. P. l. l.

Verbaque provisam rem non invita sequentur.

Ita, quoniam pulchrum est, in secundis tertiisque consistere, atque ut transeundi spes non sit, magna tamen laus subsequendi, vid. Quinctil. XII. 11. p. 1113. conf. Cic. Orat. c. 1, 2., Pollio, qui Cicerone arcem jam tenente eloquentiae, agere coepit, judice Quinctiliano l. l., nec parum in vi-

vita dignitatis habuit, nec parum ad posteros gloriae tradidit: adeo, ut *ad summa* sit *provectus incorrupta vita et facundia:* verba sunt Taciti, Annal. XI. 6.; nam *in re tanta eminere est*, *et post duos esse.* Senec. Epist. C.

SECTIO II.

De Asinio Pollione declamatore.

Restat altera hujus Capitis pars, qua explicanda est Asinii Pollionis inter Rhetores apud Senecam declamatio. Miram rem dicas, principem Oratorem et civem inter Scholasticos, Cestium, Porcium Latronem, Hisponem Romanum, Arellium Fuscum, Alfium Flavum, Buteonem, alia obscura nomina, in controversiis ac fictis causis declamantem videre; praesertim si quis antiqui Oratoris dignitatem, Rhetorum abjectam conditionem reputet. Attamen quivis clari in civitate viri, L. Arruntius, M. Aemilius Scaurus, Passienus, T. Labienus, Q. Haterius, Cassius Severus, Marcellus Aeserninus, alii, in hos declamatorum coetus descendisse memorantur. Est autem tota haec res in unius M. Senecae auctoritate posita, de cujus in consignandis his declamationibus consilio ac ratione, paucis monere oportet.

Rhetorem M. Annaeum Senecam, jam senem, filii rogaverant, ut de declamatoribus, qui quidem

in

in ejus aetatem incidissent, judicium suum proderet, et quidquid sententiarum declamationisve ab illis dictum fuisset, ex memoriae latebris excitaret ac perscriberet. Igitur senex revertitur in scholas, ac declamatorum, quos cognosset, memoriam replicans, de singulorum simul ingenio exponit, simulque auditarum a se declamationum locos ac sententias literis custodit. Suasoriarum autem ac Controversiarum paulatim invaluit, ut certa quaedam essent ac fixa et tralatitia argumenta: in quibus vario modo tractandis Scholastici operam consumebant. Itaque eamdem controversiam alius alia narratione, quaestionibus, divisione, colore, tentabat: unde potuit Seneca, quod diversis conventibus dictum declamatumque esset, una saepius relatione conjungere: quippe qui id tantum agebat, ut, qua quisque ratione singula argumenta solitus fuisset persequi, patefaceret. De ratione vero, formâ, historiâ, hujus instituti declamationum habendarum nihil tradidit. Quod eo molestius nobis accidit, quia ex harum demum rerum notitia rite aestimari poterit de singulari principum virorum cum Rhetorum scholis exercitationibusque necessitudine: quam rursus qui interius perspexerit, multum se profecisse sciet ad intelligentiam rerum urbanarum, imperante Augusto, omnemque conditionem literarum ac studiorum, quibus tum Roma florebat, penitius percipiendam. Sunt autem ceteri fere auctores, ac recentioris aetatis viri docti, in Rhetoricae formulis et disciplinae partibus, Progymnas-

mate, Suasoria, Controversia, explicandis, verbosi; in hoc ipso vero declamandi instituto, ejusque usu ac progressu, declarandis, muti. Quapropter de toto hoc negotio ex indiciis nonnullis sapere cogimur. Ordiamur ab ipsa notione *declamandi.*

Declamare et *declamatio* ante Ciceronem aliâ, qua vulgo postea, significatione dicebantur. Arguunt loca apud Cic. in Brut. c. 90. et Senec. Controv. L. I. Praefat. p. 68, 69. (1). Notabat

(1) Totus Senecae locus foedissime corruptus est; quem in hunc fere modum restitui posse opinamur: *Hoc vero alterum nomen* (Theses) *Graecum quidem est, sed in Latinum ita translatum, ut pro Latino sit. Scholastica controversiâ multo recentior est. Sicut ipsa declamatio apud nullum auctorem antiquum, ante ipsum Ciceronem et Calvum, inveniri potest. Modo nomen hoc prodiit.* etc. Gronovius ad L. II. Controv. XI. p. 181. illud *alterum nomen*, non ad theses referens, nodum in scirpo quaesivit. Sequentia, *sicut ipsa declamatio*, a prioribus divulsimus auctoritate Codicis MS. Academiae L. B. Dein nullo sensu editiones habent . . . . *inveniri potest, qui declamationem distinguit. Ait enim, declamare est, jam non mediocriter dicere. Bene alterum putat domesticae exercitationis esse, alterum verae actionis. Modo nomen*, etc. *Qui declamationem distinguit — verae actionis*, glossam esse suspicor alicujus librarii, qui ex Ciceronis aut Calvi loco, nescio quo, at deperdito, Senecam illustrare voluit. Quam Joh. Schultingius ex correctione sua natam jactat perspicuitatem, ea quin ipsi sit perspicuitas, non litigo: an item aliis sit, vehementer dubito. Ipsam glossam, cui, utpote veteri, et in veterum fide Scriptorum fundatae, sua salva est auctoritas, ita ad sensûs integritatem emendavit Hamakerus, V. Cl. *Sicut ipsa declamatio apud nullum auctorem antiquum, ante ipsum Ciceronem et Calvum,* in-

bat enim declamare antea, *non mediocriter dicere*, Senec. l. l. (1); quod fere rabulae convenit: distinguitur *dicere*, quod unius Oratoris est. vid. Ernesti in Lex. laud. v. *dicere*. Dein significavit *declamatio*, *forensium actionum meditationem*, Quinctil. IV. 2. p. 325, *qua ad pugnam forensem velut praepilatis exerceri solebant*; Idem V. 12. p. 455. *judiciorum consiliorumque imaginem*, ibid. II. 10. p. 164. Hoc sensu declamatio usurpabatur de praeparatione causarum verarum ac forensium, qua conjunctione quae vis sit vocis *veritas*, intelligi potest ex ll. ll. ab Ernesti l. l. v. *veritas*, et Wyttenb. B. C. T. I. P. I. p. 24, 25. vid. praeterea Quinctil. V. 13. p. 473. ubi *exercitationes* dixit, *quae foro praeparantur*: Cic. Philipp. V. 7. Quinctil. IV. 2. p. 325. Dein verba *declamare*, *declamatio*, propria facta sunt Rhetorum, causarumque fictarum, et translata ad omne illud genus, quod ἐπιδεικτικὸν vocatur, ac notare coeperunt peculiarem quamdam dicendi formam, quae ab omni verae actionis forique praeparatione sejuncta fuit.

Hoc

inveniri potest; qui declamationem distinguunt. Ajunt enim declamare esse clamare non mediocriter. Jam bene dicere alterum putant, etc.

(1) Et vid. Cic. ad Div. III. 11. in Verr. IV. 66. pro Roscio Amerino c. 29. Hoc sensu Cicero, de Orat. I. 16., opponit eum, qui tantum in *declamatorio* sit opere jactatus, alteri, qui ad dicendum omnibus ingenuis artibus instructus accesserit. conf. ad Quint. Fr. III. 3.

Hoc sensu *declamatio* usurpatur apud Auct. dial. de Orat. c. 35. et *in scholis declamare*, ibid. c. 31. Hac ratione *declamavit* Nero publice, Suet. de cl. Rhet. c. 1., et ad mediam fere aetatem Juvenalis, *animi magis causa, quam quod scholae aut foro praepararet:* Suet. in ej. vit.: et queritur Quinctil. V. 12. p. 455. de *declamationibus, quae olim jam ab illa vera imagine orandi recesserunt, atque ad solam compositae voluptatem, nervis carent.* Eodem modo ponitur *declamatio* ibid. VII. 1. p. 581.; *declamare*, XI. 1. p. 980.; *declamantes*, II. 10. p. 162. XI. 1. p. 969.; *declamandi ratio*, quae ex omnibus novissime inventa dicitur, II. 10. p. 161. conf. ibid. p. 164. *declamare* apud Suet. de ill. Gramm. c. 7. Plin. Epist. II. 14. n. 2. Hanc vocis vim respexit Suetonius, de cl. Rhet. c. 1. *plerosque Oratores* docens, *etiam* declamationes *edidisse.* conf. Senec. Rhet. l. l. p. 67. Hinc derivatum est, eadem notione, *declamator.* vid. Cic. de Orat. III. 34. Orat. c. 15. Quinctil. V. 13. p. 472. IX. 2. p. 779. X. 7. p. 955. Fluxit autem haec significationis immutatio ex ipsius rei facta temporis successu conversione. Qua de re jam accuratius disserendum est.

Non declamabant veteres in rhetorum scholis (1), sed juvenum exercitationibus oratoriis

(1) Auct. dial. de Orat. c. 31.

tiis (1) praeërant Graeci summi doctores (2), et principes in civitate viri, quorum domus optimi juvenes frequentabant, veram dicendi viam velut ex oraculo petentes. Hos illi Oratores, qui in dicendi laude consenuerant, formabant quasi eloquentiae parentes, non humanitatis solum communi ducti officio, sed amore quodam operis, nihilque honestius existimantes, quam docere, quod optime sciebant. Quinctil. XII. 11. p. 1108. conf. omnino Cic. in Orat. c. 41, 42, 43. Classicus locus est apud Auct. dial. de Orat. c. 34. conf. Gronov. Observ. III. 23. p. 654. sqq. Sic Cicero se adolescentem saepius fuisse apud L. Aelium, eumque audire perstudiose solitum fuisse, scribit ipse in Brut. c. 56: ad se autem postea Coelium deductum a patre profitetur. vid. Quinctil. l. l. Sic Pansam, Hirtium, Cassium, Dolabellam, in morem praeceptoris exercuit, quotidie dicens audiensque. Quinctil. l. l. et VIII. 3. p. 699. Cic. ad Div. IX. 16. 18. conf. epist. 20. et ad Quint. Fr. III. 3, 4. ad Div. VII. 33. Suet. de cl. Rhet. c. 1. Senec. Controv. L. I. Praefat. p. 67, 68. Eodem modo P. Vatinius, ad Div. V. 10., Q. Volusium Ciceronis discipulum vocavit, et dicitur Mu-

(1) Quod totum genus dicebatur *commentatio*, *commentari*; (Cic. in Brut. c. 89, 90. conf. c. 27. 71. 78. 81.) de cujus variis partibus exponit Suet. de cl. Rhet. c. 1.

(2) Cic. in Brut. c. 90.

Munatius Plancus Ciceronis discipulus ab Hieronymo in Chron. Euseb. ad a. MDCCCCXCII. conf. Casaub. ad Suet. l. l. Ab hac institutione profecti, easdem exercitationes in ipso dicendi ac honorum itinere repetiverunt. Cicerone nemo diutius causas declamitavit, vid. Tusc. I. 4. II. 3. Quinctil. IX. 5. p. 943. Suet. l. l.; qui in praetura, post laborem fori, cum aliis claris viris scholam Antonii Gniphonis frequentabat: vid. Suet. de ill. Gramm. c. 7. Macrob. Saturn. III. 12: et traduntur Cn. Pompejus, M. Antonius, Augustus, juvenilem aetatem egressi, declamandi consuetudinem revocasse. vid. Suet. de cl. Rhet. c. 1. in Aug. c. 84.

Hae vero omnes fuerunt causarum verarum exercitationes privatae, quibus usus aut praeparabatur aut renovabatur: quarum magno studio hominibus injecto, mox secutum est, ut harum ipsarum exercitationum disciplina quaedam et velut ars constitueretur, ac professorum doctorumque magna multitudo existeret. Aperiuntur Rhetorum scholae, quarum cito latius serpit cum dignitate auctoritas. Rhetores ipsi in principum virorum contubernium ac familiaritatem recipi, plerique in ordinem Senatorium, et ad summos honores pervenire. Suet. l. l. c. 1. Declamandi consuetudo, non qualis ante fuerat, administra et pedissequa usûs, quae adhibebatur modo ad praeparandam veram actionem, sed tamquam peculiaris quaedam eloquentiae pars

et

et forma, ad quam digne tuendam nunc jam aliis domesticis exercitationibus opus erat, celebratur ac propagatur. Cujus rei causa partim quidem ex communi, et apud Graecos et apud Romanos, eloquentiae, tamquam fatali, cursu illustratur, si animadverterimus, artem ejusque praecepta, cum primum omnino non adhiberentur, dein usurpari coepisse ad instruendam eloquentiam et augendam; ita tamen, ut eloquentiae ars serviret, ac subjecta esset; denique disciplinam scholae, postquam generosa eloquentiae vox in rebus publicis conticuisset, unam regnum ac principatum obtinuisse. In Romanorum autem rep. accuratius definiri potest causa, quae declamandi studium, quod distinguendum est ab officio praeceptorum Rhetorices tradendorum, tam brevi temporis spatio adeo insigniter auxit et amplificavit. Nempe eloquentia primum pulsa de foro est ac statu mota bellis civilibus: quorum armis posteaquam resp. absumta, et in unius potestatem redacta esset, una cum libertate exstinctâ, eloquentiae publicae altum silentium, velut frenum, imponitur. Quo facto primum accidit, ut Rhetorum quae esset in civitate vis et auctoritas, appareret, ipsique adeo ex tenebris in lucem exirent. Florente enim eloquentia in rerum publicarum tractatione, Rhetorum turba Oratorum splendore obruebatur, et omnia reliqua studia, quae otii magis erant ac desidiosi recessûs, quam actionis, in hujus agendi dicendique sapientiae umbra de-

delitescebant. Dein factum est, ut eloquentiae, de sua ditione regnoque exsulantis, omnis moles rueret in exercitationes Rhetoricas: a quo inde tempore auctus est scholarum ludorumque numerus, recitationes institutae, et ad custodienda celebrandaque dicendi studia privati conventus habiti, in quos, tamquam in portum et asylum, eloquentia, reip. luce orbata, confugiebat. Accedebat unius imperii, quale Augusti fuit, opportunitas; qua fit, ut, agendi administrandique partibus in unum translatis, soleat reliqua civitas in se, ad omne artium disciplinarumque genus colendum redire: unde tranquillior nascitur aequabiliorque doctrinarum et omnis omnino ingenii cultûs progressio, quam ubi agendi officium omnes pariter occupat.

Ex his causis explicari possunt Rhetorum ac principum virorum post bella civilia conventus, ad celebrandum declamandi studium, non ut foro praepararetur, sed tamquam materiem quamdam ac genus dicendi, quod in fractae eloquentiae locum substitutum fuerat, sive potius ex ejus naufragio ereptum ac servatum.

Videntur autem primum privati fuisse conventus Rhetorum sive Scholasticorum et aliorum, cujusvis dignitatis hominum, sed eloquentiae studiosorum, in domum principis alicujus viri, sive alia loca, convocati. Circa Rhetores id imprimis animadvertendum est, fuisse plerosque, eodem modo ac Grammaticos, libertinae conditio-

nis

tis (1), et in clientela viri dignitate conspicui, qui eos in familiaritatem, saepius in contubernium recipiebat (2). Docebant ac declamabant in nobiliorum aedibus (3), in locis publicis

(1) Exempla sunt apud Suet. de cl. Rhet. c. 3. de ill. Gramm. c. 6. 7. 10. 11. 12. 13. 15. 16. 17. 18. 20. 21. 23. Notabile imprimis exemplum est in Timagene, qui primo servus, dein usque ad amicitiam Caesaris Augusti felix, post hujus etiam inimicitias a tota civitate dilectus fuit. vid. Suid. v. Τιμαγένης, T. III. p. 468. Senec. Rhetor, L. V. Controv. XXXIV. p. 392. philosophus, de Ira, III. 23. Plutarch. de adulat. et amici discr. p. 68. B. Seneca Controv. L. II. Praefat. p. 145, 147. *Blandus*, inquit, *rhetor, eques Romanus Romae docuit. Ante illum intra libertinos praeceptores pulcherrimae disciplinae continebantur: et, minime probabili more, turpe erat docere, quod honestum erat discere.* Sueton. de cl. Rhet. c. 1. Rhetorices, ait, *magna professorum ac doctorum profluxit copia, adeoque floruit, ut nonnulli ex infima fortuna in ordinem Senatorium, atque ad summos honores processerint.* Quod vero Plinius Epist. IV. 11. Rhetorices professionem contemtu notare videtur, id magis valet in uno Liciniano, qui, relegatus ob incestum, Rhetor de Oratore factus fuerat. Dein, praecipue extra urbem, haec professio magis magisque honorifica evasit; qua in re quaedam habet Perizon. in Praefat. ad Aelian. p. 22.

(2) C. Albutium Rhetorem Plancus Orator in contubernium recepit: dein clarus Rhetor, propria auditoria instituit: Sueton. de cl. Rhet. c. 6. Eodem modo Timagenes historicus in Asinii Pollionis contubernio consenuit; Senec. de Ira l. l.

(3) M. Antonius Gnipho docuit primum in Divi Julii domo, pueri adhuc, deinde in sua privata: Suet. de ill. Gramm. c. 7.; Verrius Flaccus, nepotibus Augusti praeceptor datus, cum tota schola in Palatium transiit, et docuit in atrio Catilinae domus, quae pars Palatii tunc erat. ibid. c. 17. Declamantium ac recitantium

cis (1), vel auditoriis propriis (2). Aderant his scholis saepe Oratores ac Senatorii ordinis viri, sive audiendi gratiâ, sive se exercendi, sive alias ob causas (3). In

tium coetus in domum suam recipiebat Quadratus, vir quidam opulentus. vid. Arrian. Epictet. Dissert. L. III. c. 23. § 23. et Upton. ad h. l. edit. Schweigh. T. II. P. II. p. 759. Alia exempla sunt apud Plinium, Epist. VIII. 12. Martial. Epigr. IV. 6. Juvenal. Sat. I. 12. VII. 40. Senec. Suasor. VI. p. 50. Accommodari huic usui poterant vestibula elegantiora et spatiosiora, quibus opus esse forensibus ac disertis *ad conventus excipiendos*, judicat Vitruv. L. VI. c. 5. edit. Schneid. vulgo c. 8.

(1) Lenaeus, Pompeji M. libertus, docuit in Carinis, ad Telluris aedem; Suet. de ill. Gramm. c. 15. Cestius scholam habuisse videtur in balneo publico, ex Senec. Excerpt. Controv. L. III. Praefat. p. 428.; sicut Eumolpius in balneo carmen recitasse traditur a Petronio Satyr. c. 90. p. 436. coll. Horat. Serm. L. I. Sat. IV. 75, 76. conf. Vitruv. V. 11. § 2. et W. Gell, et J. P. Gandy, Pompejana, Lond. 1817—1819. p. 249, 250. In multis aliis locis declamationes habitae sunt, porticibus, templis, theatris, basilicis, siquidem hoc colligi potest ex locis, destinatis finitimae consuetudini recitandi. vid. Auctt. laudd. a Walchio, Diatr. de modis literas colendi ap. Rom. § 3. in Parerg. Acad. p. 62. sqq Vossius de Imitat. c. VII. § 10. In Athenaeo, quod postea Hadrianus ad recitationes habendas exstrui curavit, itidem controversiis declamatum est. vid. ll. ll. a Vossio l. l.

(2) Declamabant domi suae, quemadmodum Albutius, Senec. Controv. L. III. Praefat. p. 224: et in propriis auditoriis, Suet. de ill. Gramm. c. 6. Gnipho docuit in domo sua privata, Suet. Ibid. c. 7. Conduxisse item aedes videntur, sicut recitaturi: de quo more vid. Auct. dial. de Orat. c. 9. Voss. l. l. § 13. Scholae sive auditorii alicujus Rhetoris, cum pulpito et exedra, reliquiae, exstant in ruinis Pompejanis: tabula est apud Gell l. l. Tab. 73. conf. Tab. 68.

(3) Scholam Gniphonis clari viri, in his M. Cicero, Praetor, fre-

In haec igitur auditoria, sed privatim, convenisse videntur Scholastici et eloquentiae studiosi (1). Postea admissus est ad has declamationes populus; quod tamen tempore Labieni et Asinii nondum in usu erat, neque illi unquam fecerunt (2).

In his adeo coetibus (3) declamasse fertur Asi-

frequentarunt. Suet. l. l. c. 7. Cassius Severus traditur intrasse scholas, cum recitaturus esset in Milonem Cestius. Senec. Excerpt. Controv. L. III. Praefat. p. 428. Domitius, nobilissimus vir ac consularis, coepit postea *Rhetores circumire et declamare*. Senec. L. IV. Controv. XXVII. p. 327. Latro declamabat controversiam, *Caesare Augusto audiente et Agrippa*. Idem L. II. Controv. XII. p. 195. Plinius, amici liberis praeceptorem quaesiturus, scholas frequentabat, in quibus adsidebant *multi Senatoris ordinis viri*. Epist. II. 18. n. 1, 2.

(1) Discernuntur in his coetibus *declamatores* sive *Rhetores* et *Oratores*, ab ipso Seneca L. III. Controv. XVI. p. 234. Quo pertinet, quod de Fabiano notat Seneca, Controv. L. II. Praefat. p. 146. eum declamitasse tam diligenter, *ut putares illum illi studio parari; non per illud alteri praeparari*: eumque *studuisse eloquentiae, non eloquentiae causa*.

(2) Senec. Controv. L. III. Praefat. p. 219. *Albutium non audivi frequenter, cum per totum annum quinquies sexiesve populo diceret, ad secretas exercitationes non multi irrumperent, quos tamen gratiae suae poenitebat. Alius erat, cum turbae se committebat, alius, cum paucitate contentus erat.* Idem, Controv. L. V. Praefat. p. 349. *Labienus declamavit non quidem populo, sed egregie. Non admittebat populum: et quia nondum haec consuetudo erat inducta; et quia putabat turpe ac frivolae jactationis.* Excerpt. Controv. L. IV. Praefat. p. 440, 441. *Pollio Asinius nunquam admissa multitudine declamavit*, ibid. p. 443. *Declamabat Haterius admisso populo ex tempore.*

(3) Quos diversos fuisse a scholis, in quas nonnisi pueri aut juvenes ventitabant, (Senec. Excerpt. Controv. L. III. Praefat. p. 428.)

Asinius Pollio, cujus sententias judiciaque Seneca laudat Suasor. II. p. 18. L. I. Controv. VI. p. 126. L. II. Controv. XI. p. 180, 181. 185. Controv. XIII. p. 201. L. III. Praefat. p. 221. Controv. XVI. p. 227. 235. Controv. XIX. p. 254. Controv. XXI. p. 271. L. IV. Controv. XXV. p. 311, 312. Excerpt. Controv. L. IV. Controv. II. p. 448. Controv. III. p. 449. L. IV. Controv. V. p. 452. Controv. VI. p. 453. Fuit autem Pollio Asinius ex eo genere literarum patronus, qualem Titinium Capitonem praedicat Plinius, Epist. VIII. 12. *Vir est*, inquit, *optimus, et inter praecipua seculi ornamenta numerandus: colit studia, studiosos amat, fovet, provehit, multorumque, qui aliqua componunt, portus, sinus, praemium; omnium exemplum; ipsarum denique literarum, jam senescentium, reductor ac reformator. Domum suam recitantibus praebet; auditoria, non apud se tantum, benignitate mira frequentat.* Pollio etiam videtur, princeps Orator ac civis, declamantium conventus apud se convocasse, Rhetoribus quoque ac scholis hospitium et domum suam praebuisse. Certe Suidas, v. Πωλίων, T. III. p. 164., et ex eo Eudocia in Violet. v. περὶ Πωλίονος τοῦ σοφιστοῦ, edit. Villois. p. 355. Pollionem, auctores sunt, cognomine Asi-

428.) ex dictis intelligitur. Ceterum qui plura de hoc declamandi usu cognoscere velit, ei ex recitandi consuetudine, quam accuratius tenemus, ad declamationes conjectura erit facienda.

Asinium, successisse in scholam Timagenis Rhetoris. Hunc autem Asinium probabile est, fuisse Consularis libertum (1), quem patronus in relictâ scholâ obtinendâ adjuverit. Timagenes vero, historiarum scriptor, quem memoravit item Suidas, v. Τιμαγένης ἱστορικός, T. III. p. 469., in Asinii Pollionis contubernio consenuit; vid. Senec. de Ira III. 23: quamquam Vossius, de Hist. Graec. L. I. c. 24., hunc alium esse putat ac Timagenem, Alexandrinum Rhetorem, de quo videndus est Suidas v. Τιμαγένης, l. l. p. 468. et v. σφηνωθείς, ibid. p. 417., quemque scholâ excidisse tradit διὰ τὸ παῤῥησιαστὴς εἶναι. Nihil affirmo: illud modo animadverti velim, non nimis magnifice de Suidae fide sentiendum esse, ut adeo scholâ non magis excidisse, quam sponte cessisse, Timagenes intelligi possit; quod autem Rhetor a Suida, l. l. p. 468, obiisse narratur in agro Tusculano, id fieri potuisse in Asinii contubernio, qui ea regione villam habuit, in qua ipse est mortuus: Senecae vero philosophi, l. l. et Epist. XCI., Rhetoris, L. V. Controv. XXXIV. p. 392,

(1) Quae contra Tarquinium Gallutium, in Orat. de obitu Ciceronis, sententia est Vossii, de Hist. Graec. L. I. c. 24., Morhofii, de Patavin. Liv. c. IV. p. 38., et J. Molleri in Homonymoscopia, Hamb. 1697. Sect. II. c. IV. § 7. p. 358, 359. Diversos etiam censent J. B. et F. O. Menckenii, in Biblioth. Virorum militia ac scriptis illustrium, Lips. 1734. § CXCI. p. 363, 364.

p. 392, 293. (1), Plutarchi, de adulat. et amici discr. p. 68. B, Horatii, L. I. Epist. XIX. 15, 16., ac Suidae, l. l. v. Τιμαγένης, traditiones de viri maledicentia ac petulanti libertate in unum eumdemque Timagenem optime conveniunt. Quodsi idem habendus sit Rhetor et Historicus, ex necessitudine, quae Pollioni cum Timagene intercedebat, verosimile est, scholae praefectum esse ab Asinio libertum suum, postquam Timagenes, contubernio Pollionis exceptus, otium quaerens, (quippe qui jam senior ad Pollionem accessit, vid. Suid. l. l. p. 468.) magisterio se abdicasset. Videntur enim hae scholae, quemadmodum magistri, in quadam tutela fuisse ac patrocinio principum e civitate virorum.

Asinium, inquit Seneca, Excerpt. Controv. L.

(1) Haec enim ad Asinium pertinere, nobis persuadet reliquorum Scriptorum consensus. Quod ideo monemus, quia proxime antecedentia a Seneca haud procul dubio non dicta sunt de Asinio. Sed totus locus (p. 392), qui pertinet a verbis 'ΑΛΛΙΟΣΙ — ad οὐχ ἅπτω· foedissime est corruptus, ut nobis quidem, velut desperatus aliquis, relinquendus sit. Priora correxit Hamakerus, V. Cl., in hunc modum: 'Αθηναίοις ὦ Προμηθεῦ, σέ τις, etc. — *Sic et Craton, venustissimus homo, ut in prooemio est professus Asinius.* Quae sequuntur, referri nequeunt ad tantae dignitatis virum, quantae Asinius fuit: quem nec verosimile est accepisse a Caesare donum, talentum Atticum; neque Passieni gratiae commendatum fuisse ab Imperatore credibile est. Nobis potius a Seneca ita scriptum esse videtur, ut haec postrema in Rhetorem Cratonem, sequentia, *saepe solebat*, etc., quemadmodum ante dicebamus, in Asinium conveniant.

L. IV. Praef. p. 441, 442., *audivi et viridem, et postea jam senem, cum Marcello Aeserníno, nepote suo, quasi praeciperet. Audiebat illum dicentem; et primum quidem disputabat de illâ parte, quam Marcellus dixerat; praetermissa ostendebat, tacita leviter implebat, vitiosa coarguebat: deinde dicebat partem contrariam. Floridior erat aliquando in declamando, quam in agendo. Illud strictum ejus et asperum, et nimis ratum in dicendo judicium, adeo cessabat, ut in multis illi veniâ opus esset, quae ab ipso vix impetrabatur. — Memini intra quartum diem, quam Herium filium amiserat, declamare eum nobis, sed tanto vehementius, quam unquam: ut appareret, hominis naturam contumacem cum fortunâ suâ rixari.*

Duplicem declamandi exercitationem videmus; unam instituendi nepotis, quae potest aliquomodo cum susceptâ a Cicerone docendi provinciâ comparari: alteram suae dicendi facultatis. Hujus, quam posteriori loco ponebamus, duo imprimis genera fuerunt: alterum genus inventum est ad instruendum formandumque declamatorem, eloquentiamque, quae ad tuendam remp. in aciem non amplius educi poterat, usu intra parietes augendam et corroborandam: alterum, comparatum ad ostentationem, unice auditorum delectationem spectabat. Prioris generis conventus erant privati, in quibus Oratores, ceterique conspicui dignitate cives, instrumentum illud dicendi acuebant et limabant, umbratilis pugnae ventilatione contenti, cum in pul-

pulvere ac sole dimicare vetarentur. In posteriori genere, quod constat declamationibus publicis, se jactabant, antiquioribus certe temporibus, fere Scholastici ac Rhetores, eloquentiam non eloquentiae causa venditantes. Igitur Asinius Pollio nunquam admissa multitudine declamavit. Unde Labienus, homo mentis quam linguae amarioris, dixit: *ille triumphalis senex ἀκροάσεις suas nunquam populo commisit* (1). *Sive*, ait Seneca, *quia parum in illis habuerit fiduciae*, *sive* (*quod magis crediderim*) *tantus orator inferius id opus ingenio suo duxerit.* Exerceri *quidem illo volebat*, *gloriari fastidiebat.* Excerpt. Controv. L. IV. Praefat. p. 441. A declamandi negotio diversum fuit institutum recitandi, quod ab alia origine manavit. Etenim qui aliquid scripserant aut composuerant, antequam ederent, amicos ad audiendum invitabant, ut ex eorum judicio ad corrigendum emendandumque proficerent. Cujusmodi conventus ipsum consilium jubebat, ut privati essent. vid. Plin. Epist. II. 19. n. 9. III. 18. n. 4. 9. V. 3. n. 7. sqq. epist. 13. n. 1, 2. VII. 4. n. 7. epist. 7. n. 1. 7. sqq. VIII. 21. Hac ratione Virgilius recitabat; vid. Donat. in Vit. Virg. § 46, 47, 48. Serv. ad Aeneid. IV. 324. VI. 862.; et Augustus, vid. Suet. in Aug. c. 85. conf. Plin. Epist. V. 3. n. 6, 7. Ipse mos est multo antiquioris aetatis: initia jam habemus in L. Accio et M. Pacuvio apud Gell. N. A. XIII.

(1) Conf. N. Faber et A. Schottus ad h. l.

XIII. 1. et Hieronym. in Chron. Euseb. ad a. MDCCCLXXVIII. conf. Valer. Max. III. 7. ex. 11. Dein recitationes publicae invaluerunt (1). Pollio autem primus advocatis hominibus scripta sua recitavit. Seneca Excerpt. Contr. L. IV. p. 440, 441. *Pollio*, inquit, *Asinius nunquam admissa multitudine declamavit: nec illi ambitio in studio defuit. Primus enim omnium Romanorum advocatis hominibus scripta sua recitavit.* Quae verba si capiamus de conditis ab Asinio recitationibus publicis (2), aut de talium conventuum institutione, ad quos jam plures convocarentur, quibusque laudis major, quam censurae ratio duceretur, premimur locis Horatianis, Serm. L. I. Sat. IV. 22, 23. 73, 74, 75., unde publicam recitationem, vel *in medio foro*, l. l. v. 75., tum jam vulgari usu floruisse, apparet. Perfecit autem Horatius, ordinante R. Bentlejo, Viro summo, in Praefat. ad Horat. p. X. edit. Lips. 1764., priorem Sermonum Librum intra annos aetatis XXVI, XXVII,

(1) In hunc modum T. Livius scripta sua recitavit. vid. Suid. v. Κορνοῦτος. T II. p. 350, 351. Sic enim locus capiendus est, quem Vossius de Hist. Lat. L. I. c. 26. p. 44. male interpretatur de docendi in scholis officio. Ovidius, Trist. IV. Eleg. X. 57. *carmina se populo juvenilia legisse* refert. conf. Voss. de Imitat. c. VII. § 8. Alia exempla ubique obvia sunt, collectaque a Scriptoribus mox memorandis.

(2) Ut fecit Vir acutissimus Wieland, ad Horat. Epist. I. 19. v. 39. sqq. versionis Epist. Horat. T. I. p. 325.

XXVII, XXVIII.; atqui natus est Poeta, auctore Suetonio in ejus Vita, Coss. L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato, i. e., si rationes Pighianas sequaris, anno U. C. 688.: igitur scripta est Satira IV, quam laudabamus, intra annum U. C. 715. At vero Asinius de Dalmatis triumphavit anno 714 ad finem vergente: qui cum ante in armis vixerit, solus relinquitur annus 715, quo potuerit instituti auctor esse, quod vix natum, omnium statim usu frequentatum sit. Hoc vero qui dandum censeat, neminem fore opinor. Quid igitur? Senecae testimonium salvum est; et si diligentius inspicias, optime cum Horatio consentit. Etenim nihil loco laudato traditur de recitandi coetibus sive publicis, sive privatis; sed de more, homines ad recitationes solenni quadam formula advocandi, cujus auctoritas moris Asinio Pollioni defertur. Igitur postea invitatio facta est, sive voce (1), sive codicillis, qui ad amicos mittebantur, vid. Plin. l. l. III. 18. n. 4., sive libellis, qui publice dispergebantur. vid. Plin. ibid. Auct. dial. de Orat. c. 9. Quo facto res paulatim in quamdam officii necessitatem migravit, cum advocandi, vid. Plin.

(1) Formula est apud Arrian. l. l. *ἄκουσον μου σήμερον διαλεγομένου ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ Κοδράτου·* vid. Plin. Epist. I. 13. n. 4. In toto negotio proprium erat, ut Latine *advocare*, ita Graece *παρακαλεῖσθαι*. Arrian l. l. *παρακληθῆναι τοὺς ἀκουσομένους·* Sextilius Hena, Ciceronis proscriptionem in domo Messalae Corvini recitaturus, Pollionem Asinium *advocaverat*. Senec. Suasor. VI. p. 50.

Plin. l. l. I. 5. n. 4., tum veniendi, vid. ibid. epist. 13. n. 6. VIII. 12. Hanc igitur novitatem quod primus Pollio Asinius importavit, id aptissime a Seneca adhibetur ad ambitionem viri in studio patefaciendam. Videtur autem, cum nunquam admissa multitudine declamaret, ab hac jactatione alienus, certos modo homines ad recitationes suas invitasse, nec publicarum recitationum pompam ostentationemque adscivisse. Ceterum de toto hoc recitandi instituto jam accuratius quaesitum est a Viris doctis, ne huic argumento diutius immorandum sit. vid. Lipsius, Epist. ad Belgas Centur. II. Epist. 48. Vossius, de Imitatione c. VII. sqq. J. G. Walchii Diatr. de variis modis literas colendi apud Rom. § 8. in Parerg. Acad. p. 81. sqq. Cellar. Antiq. Rom. L. VII. Sect. II. § 12. et Walch. in nota. Casaubon. in Commentar. ad Persium, passim, imprimis p. 59. sqq. p. 98. sq. p. 140. edit. Paris. 1615.



CAPUT II.

DE ASINIO POLLIONE HISTORICO ET POETA.

Historiae conscribendae munus a Pollione Asinio susceptum est, post magnum excellentium in eodem genere ingeniorum proventum. Quae res uti aetati decus, ita singulorum Scriptorum celebritati exitium solet afferre, istorum praesertim, qui post occupatam a laudis auctoribus disciplinae dignitatem, in secundis tertiisve consistunt. Pollio tamen Asinius cum paucis singularis palmae fuit socius, ut rerum, quibus ipse interfuisset ac praefuisset, historiam posteritati traderet. Qua in causa interdum subirascendum est fortunae temeritati, si nobis ea potissimum opera invidit, ex quibus debuisset cum de posteriorum Scriptorum fontibus et auctoritate, tum de aequalium fide et integritate, certo exploratoque judicio cognosci.

Composuerat autem Pollio historias, quarum

tertium Librum laudat Valerius Maximus, VIII. 13. ext. 4. In eo libro de Arganthonii Gaditani longaevitate prodiderat. Valerius, *Arganthonius*, inquit, *Gaditanus tamdiu regnavit, quamdiu etiam ad satietatem vixisse abunde foret. Octoginta enim annis patriam suam rexit, cum ad imperium quadraginta annos natus accessisset: cujus rei certi sunt auctores. Asinius etiam Pollio, non minima pars Romani stili, in tertio historiarum suarum libro centum illum et viginti annos explesse commemorat.* Celebratum est hoc longaevitatis exemplum magnâ testimoniorum frequentia: nam auctores sunt Herodotus L. I. c. 163. Anacreon apud Strab. L. III. p. 225. A. Cic. de Senect. c. 19. Strabo, l. l. p. 224. B. p. 225. A. Lucian. in Macrob. c. 10. T. III. p. 214. Silius, Pun. III. 398: de quorum dissensu vid. Auctt. laudd. a Drakenb. ad Silium l. l. Idem exemplum Plinius, H. N. VII. 48. retulit, ex eodem, credi potest, auctore prolatum Asinio Pollione, qui nominatur in catalogo Scriptorum, ex quibus Librum VII. Plinius compilavit. Historias Asinius suo ac patrio sermone conscripsit, quod constat ex Valerii verbis laudatis, et Seneca, Suasor. VI. p. 48. Inter Latinos auctores Pollionem Appianus quoque posuit, de B. C. II. 71. 82. Addendum est Suetonii testimonium, de ill. Gramm. c. 10., qui, *Attejus*, inquit, *Philologus coluit familiarissime Cajum Sallustium, et eo defuncto Asinium Pollio-*

 nem;

nem; quos historiam componere aggressos, alterum breviario rerum omnium Romanarum, ex quibus, quas vellet, eligeret, instruxit, alterum praeceptis de ratione dicendi. Quo magis miror, Asinium Pollionem credidisse, antiqua eum verba et figuras solitum esse colligere Sallustio: quum sibi sciat nil aliud suadere, quam ut noto civilique et proprio sermone utatur, vitetque maxime obscuritatem Sallustii, et audaciam in translationibus. Quod Pollio scire dicitur, sibi ab Attejo nihil aliud suaderi, quam ut noto civilique et proprio sermone utatur, id pertinere videtur ad libellum de ratione dicendi, quo Pollionem Attejus *instruxit:* quamobrem Vossius, de Hist. Lat. I. 17. locum non satis accurate ita cepit, quasi breviario rerum Romanarum non Sallustius, sed Pollio ornatus fuisset. Suidas, v. Ἀσίννιος, T. I. p. 350. Ἀσίννιος Πωλλίων, Ῥωμαῖος. Ἱστορίας Ῥωμαϊκὰς συνέταξεν ἐν βιβλίοις ιζ′. Graeca Pollionem scripsisse Is. Casaubonus ad Suet. in Caes. c. 30. et G. J. Vossius, de Hist. Lat. l. l. intelligere sibi visi sunt ex loco Plutarchi in Caes. p. 730. A. B. cujus haec sunt verba: ὁ δὲ Καῖσαρ, ὡς ἐν τῷ χάρακι τοῦ Πομπηΐου γενόμενος, τούς τε κειμένους νεκροὺς ἤδη τῶν πολεμίων εἶδε, καὶ τοὺς ἐπικτεινομένους, εἶπεν ἄρα στενάξας· Τοῦτ' ἐβουλήθησαν, εἰς τοῦτό με ἀνάγκης ὑπηγάγοντο, ἵνα Γάϊος Καῖσαρ, ὁ μεγίστους πολέμους κατορθώσας, εἰ προηκάμην τὰ στρατεύματα, κἂν κατεδικάσθην. Ταῦτα φησὶ Πολλίων Ἀσίννιος τὰ ῥήματα Ῥωμαϊστὶ μὲν ἀναφθέγξασθαι

σθαι τὸν Καίσαρα παρὰ τὸν τότε καιρὸν, Ἑλληνιστὶ δ' ὑπ' αὐτοῦ γεγράφθαι· τῶν δ' ἀποθανόντων τοὺς πλείστους οἰκέτας γενέσθαι, περὶ τὴν κατάληψιν τοῦ χάρακος ἀναιρεθέντας· στρατιώτας δὲ μὴ πλείους ἑξακισχιλίων πεσεῖν. Quibus, quod cum summa tantorum Virorum reverentia dictum sit, nihil minus significatur, quam Graeca Pollionem scripsisse: nam non dixit Asinius, se verba Caesaris Graece consignasse; verum ipsum Caesarem, quamquam Graece (in uno alterove commentario suo aut epistola) prodiderit, revera Latine pronuntiasse. Vossium non satis prudenter secutus est Heerenius, V. Cl. in Commentat. IV. de font. et auctorit. Vit. Parallel. Plutarch. insertâ Commentat. Soc. Gött. recent. Vol. IV. Cl. Hist. et Philol. p. 136. Asinium, cujus inter reliquos Vitarum Plutarchearum fontes, obiter mentionem injecit, scribens, historiam suam belli civilis Graece consignasse: quae eam ob causam Plutarcho magis arridere debuerit. Quo loco Vir eximius meminisse non videtur, quod paulo ante, p. 119., posuerat, Pollionem Asinium eamdem historiam lingua latina condidisse. Sed recipiamus nos ad Plutarchi locum. Sequentia igitur, τῶν δ' ἀποθανόντων etc., ex eodem sunt desumta auctore Pollione; quod cum sensûs ratio indicat, tum ipse Plutarchus alio loco, in Pompejo, p. 657. E. *In pugna Pharsalicâ, castris captis*, φόνος ἐν τῷ στρατοπέδῳ πολὺς ἐγένετο σκηνοφυλάκων καὶ θεραπόντων· στρατιώτας δὲ μόνους ἑξακισχιλίους φησὶ πεσεῖν Ἀσίνιος Πολλίων, με-

μεμαχημένος ἐκείνην τὴν μάχην μετὰ Καίσαρος· et Appianus l. 1 c. 82. Ἀσίνιος δὲ Πολλίων, ὑπὸ Καίσαρι τῆς μάχης ἐκείνης στρατηγῶν, ἑξακισχιλίους ἀναγράφει νεκροὺς εὑρεθῆναι τῶν Πομπηΐου. Ex Caesaris dicto, secundum Casaubonum l. 1, censemus ejicienda verba, *εἰς τοῦτό με ἀνάγκης ὑπηγάγοντο*, quippe quae non videantur ab auctore profecta; sed ab alio quodam, qui illud, *τοῦτ᾽ ἐβουλήθησαν*, exponere voluit. Quae ratio confirmatur ex Suetonio, in Caes. c. 30. *Alii*, inquit, *timuisse* Caesarem *dicunt, ne eorum, quae primo consulatu adversus auspicia legesque et intercessiones gessisset, rationem reddere cogeretur: cum M. Cato identidem, nec sine iurejurando, denuntiaret, delaturum se nomen ejus, simulac primum exercitum dimisisset: cumque vulgo fore praedicarent, ut si privatus redisset, Milonis exemplo circumpositis armatis, causam apud judices diceret. Quod probabilius facit Asinius Pollio, Pharsalicâ acie caesos profligatosque adversarios prospicientem, haec eum ad verbum dixisse referens:* Hoc voluerunt: tantis rebus gestis C. Caesar condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petiissem.

Historiarum Romanarum argumentum ignoramus, nisi idem sit opus, ac belli civilis, quod Caesarem inter et Pompejum gestum est, historia. Hanc quidem magnifice celebravit Horatius, Carm. L. II. Od. I. 1. sqq.

Mo-

Motum ex Metello consule civicum,
Bellique causas, et vitia, et modos,
Ludumque Fortunae, gravisque
Principum amicitias, et arma
Nondum expiatis tincta cruoribus,
Periculosae plenum opus aleae,
Tractas, et incedis per ignis
Suppositos cineri doloso;
v. 13. *Insigne moestis praesidium reis,*
Et consulenti Pollio curiae.

Nam eorum, qui carminis partem priorem ad tragoediae scriptionem traxerunt, Ascensii, Christophori Landini, Scholiastae Cruquiiani, ipsius Cruquii, Lambini, aliorum, opinio, dudum refutata est a contra sentientibus, Acrone, Porphyrione, Antonio Mancinello, Matthaeo Bonfini, Turnebo, Torrentio, Vossio de Hist. Lat. l. 1., Mitscherlichio, aliis plurimis. Omnino mirus est in Horatiano carmine explicando digladiantium inter se Interpretum dissensus, quem tamen hominum magis sibi ineptiae pepererunt, quam rei difficultas attulit. Quod eo valuit, ut cum perversis bonarum simul magna sylva interpretationum nasceretur. Nobis certe, a quibus, in hac instituti ratione, exspectari posse videbatur, ut ad carmen illustrandum, ni ingenii mediocritas penitus recusaret, novae aliquid lucis accenderemus, omnis haec materies, post diligentem praecipuorum ad hunc locum commentariorum lectionem, praerepta esse apparuit.

Motum ex Metello consule civicum, auctoribus Porphyrione, Mancinello, Lambino, Pighio, Annal. T. III. p. 347., Mitscherlichio, aliis, explicanda putamus de Consulatu L. Afranii, Q. Caecilii Metelli Celeris, quibus Coss., anno U. C. 693., prima Pompeji, Crassi, et Caesaris inita est societas. Nec tamen Poetam ita interpretamur, quasi hanc nobis legem scribat, ut ab eodem exordio ducamus operis Asiniani initium: etsi manifesto indicatur ab Horatio belli civilis historia, et peculiariter Pompejani; nam eo pertinent etiam ista, v. 23, 24.

cuncta terrarum subacta,
Praeter atrocem animum Catonis.

Hoc certamen Flaccus repetivit a Coss. Afranio et Metello, sive potius hujus magistratu significavit: id spectans, ut scriptionis, quam celebrat, praecipuum argumentum declararet; minime, ut de termino ac velut carceribus, quos Pollio historiae suae posuisset, nos accurate edoceret. Ex Horatio intelligitur, ad Asinium nostrum transferri oportere, quod Suidas, v. Πωλίων, T. III. p. 164. et Eudocia in Violet. p. 355., Pollionem Asinium Trallianum scripsisse perhibent, *περὶ τοῦ ἐμφυλίου τῆς Ῥώμης πολέμου, ὃν ἐπολέμησαν* Καῖσάρ *τε καὶ* Πομπήϊος.

Insigne ex Asinii historiis fragmentum servatum

tum est a Seneca Rhetore, Suas. II. p. 47, 48. *Pollio*, inquit Rhetor, *Asinius, qui Verrem, Ciceronis reum, fortissime morientem tradidit, Ciceronis mortem solus ex omnibus maligne narrat; testimonium tamen, quamvis invitus, plenum ei reddit. Asinii Pollionis.* Hujus ergo viri tot tantisque operibus mansuris in omne aevum, praedicare de ingenio atque industria supervacuum est. Natura autem pariter atque fortuna obsecuta est ei (1). Et quidem facies decora ad senectutem, prosperaque permansit valetudo: tum pax diutina, cujus instructus erat artibus, contigit. Namque ad priscam severitatem judiciis exactis (2), maximorum noxiorum multitudo provenit, quos obstrictos patrocinio incolumes plerosque habebat. Jam felicissima consulatus ei sors petendi: et gerendi magna munera, deûm consilio, industriaque. Utinam moderatius secundas res, et fortius adversas ferre potuisset. namque utraeque cum venerant ei, mutari eas non posse rebatur. Inde sunt invidiae tempestates coortae graves in eum, certiorque inimicis aggrediendi fiducia: ma-

(1) Ex correctione J. F. Gronovii.
(2) Ex ejusdem restitutione Gronovii.

majore enim simultates appetebat animo, quam gerebat. Sed quando mortalium nulli virtus perfecta contigit, qua major pars vitae atque ingenii stetit, ea judicandum de homine est. Atque ego ne miserandi quidem exitûs eum uisse judicarem, nisi ipse tam miseram mortem putasset. De hoc fragmento apponere juvat Senecae sententiam, l. l. p. 48.: *Affirmare*, ait, *vobis possum*, *nihil esse in historiis ejus*, *hoc*, *quem retuli*, *loco*, *disertius: ut mihi tunc non laudasse Ciceronem*, *sed certasse cum Cicerone videatur. Nec hoc deterrendi causa dico*, *ne historias ejus legere concupiscatis: concupiscite*, *et poenas Ciceroni dabitis.* Locum Asinianum quo jure cum Ciceronis facundia contendat, ipse Rhetor videat. Ego contra, si mea sententia declaranda sit, tantum de Tullii eloquentiâ detrahi putem, quantum huic comparationi tribuatur. Agnosco magnam dicendi vim, sententiarumque frequentia concisam orationem; studium brevitatis video, et nimiam compositionis diligentiam, sive potius insolentiam aliquam, quae totam orationem salebrosa quadam asperitate afflixit. Praesertim habent illa, *ei*, *in eum*, in fine periodi posita, molestam quamdam et impeditam constructionem; ut fere ita collocata esse dicas, ad facilem orationis cursum et velut flumen, quocunque fieri posset modo, inhibendum ac morandum. Omnino totum hoc dictionis Asinianae specimen ita

ita ad sensum meum accidit, ut quod Quinctilianus I. O. X. 1. p. 917. ex integris Asinii scriptis judicavit, ego hoc unico fragmento egregie confirmari existimem, auctorem, siquidem eum velis ad contentionis cum Ciceroniana eloquentia discrimen adigere, a Ciceronis nitore et jucunditate tam longe abesse, ut videri possit seculo prior. Ceterum sapit illa sententiarum consectatio aevi ingenium, et Sallustianam imitationem, quae omnes fere hujus et sequentium aetatum historicos invasit. Haec de dicendi genere: cognoscamus de loci argumento, quo proditur insigne Pollionis Asinii de M. Tullio Cicerone judicium.

Iniquitatis erga Ciceronem, tantum virum, quantus si ipse fuisset, praeclare secum agi existimasset, Pollio peculiarem habuit rationem discordias civiles, et amicitiam cum Antonio: reprehendendus, quod simultati, sive publicae, sive privatae, fidem historicam subjecit; laudandus, quod insigni praeconio et suae auctoritatis, et Ciceronis causam restituit, verissimoque testimonio excellentis viri memoriae satisfecit. Rectene an secus sentiam, ignoro: meus autem in hoc Pollionis de Cicerone judicio is est sensus, quem hîc eloqui cogor, verius de Cicerone omnino judicari non posse, quam ab adversario Asinio factum est: cujus sententia tam longe ab invidia, aliove quodam humanae naturae affectu sejuncta atque separata est, ut ipsa eam veritas peperisse videatur. Qua laudis praedicatione eo minus Asinius defraudandus est, quoniam eadem judicii integritate, qua

Ciceronis memoriam tradidit, de aliis etiam Pompejanis in historiis suis prodidit: qua de re operae pretium est, Taciti, Annal. IV. 34., locum suis verbis referre; qui Cremutium Cordum, postulatum, *quod editis annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Cassium Romanorum ultimum dixisset*, ab his inter alia causae suae defensionem duxisse scribit: *Titus Livius, eloquentiae ac fidei praeclarus imprimis, Cn. Pompejum tantis laudibus tulit, ut Pompejanum eum Augustus appellaret, neque id amicitiae eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc ipsum Cassium, hunc Brutum, nusquam latrones et parricidas, quae nunc vocabula imponuntur, saepe ut insignis viros nominat. Asinii Pollionis scripta, egregiam eorumdem memoriam tradunt: Messala Corvinus, imperatorem suum Cassium praedicabat: et uterque opibus atque honoribus perviguere.*

Strabo L. IV. p. 294. A. *Φησὶ*, inquit, *τὸ μῆκος αὐτοῦ* (fluvii Rheni), *σταδίων ἑξακισχιλίων Ἀσίνιος· — Φησὶ δὲ καὶ δίστομον εἶναι, μεμψάμενος τοὺς πλείω λέγοντας.* Asinium hunc, quis fuerit, designaturus, Vir summus, Isaacus Casaubonus ad h. l., fluctuans inter Asinium Pollionem, et filium ejus, Asinium Quadratum, parum cogitate scripserat: quod recte notavit G. J. Vossius, de Hist. Lat. I. 17. Ego sane non video, cur alium potius intelligamus, quam Pollionem Asinium, cujus de Rheno fluvio apta esse mentio potuit, in enarrandis C. Julii Caesaris rebus Gallicis, si forte ab his initiis belli civilis historiam ex-

exorsus sit. Nam de Quadrato Asinio, qui vixit Philippis imperantibus, cogitari nequit: quamquam is de Germaniae rebus accurate scripsit. vid. Agathias, de reb. gest. Justinian. L. I. p. 17. C. edit. Paris. 1660. Stephan. de urb. v. v. Ἄνθιον, Βόγχναι, Γάζακα, Γερμανίκεια, Γερούνιον, Γηλὺς, Θαψίπολις, Θελαμοῦζα, Μέση, Μεσσήνη, Ὀξύβιοι, Σόλυμα, Τάρσος. Suid. v. Κόδρατος, T. II. p. 337. coll. Vossio, de Hist. Graec. II. 16. de Hist. Lat. l. l. Jacobs. in Catalog. Epigramm. ad Antholog. T. XIII. Animadv. T. III. P. III. p. 865.

Jam, ut huic tandem disputationi finem imponamus, versamur in ea opinione, Pollionem Asinium historiarum suarum praecipuum quidem argumentum fecisse, bellum civile inter Pompejum et Caesarem; sed tamen universi operis tractationem ita dilatasse, ut in omnem sui temporis historiam, ad imperium usque Augusti, excurreret. Ex quibus consequitur, historiarum Romanarum et belli civilis unum forte, idemque opus fuisse.

Quae fuerit Pollionis Asinii historici inter rerum Romanarum Scriptores auctoritas, ex indiciis nonnullis aestimari potest. Valerius Maximus, l. l. ex gravissimis auctoribus, in quibus fuere Herodotus et Cicero, unius Pollionis nominatim testimonio laudato, rei traditae fidem consummasse sibi videtur. Eodem dignitatis loco censetur Asinius ab Appiano, qui de proelio Pharsalico prodens, ex multis a se collatis Scriptoribus,

(vid.

(vid. de B. C. II. 70, 82.), in unius Pollionis auctoritate acquiescit, ibid. c. 82. conf. Schweigh. ad Appian. l. l. c. 79. T. III. p. 763. Omnino videtur Appianus in Pollionis Asinii scriptis plus fiduciae posuisse, quam in C. Julii Commentariis. conf. Schweigh. l. l. p. 764. sqq. Quae res non levem habet commendationem auctoritatis Asinii, si cogites, quantae fidei diligentiaeque scriptor fuerit ipse Appianus: de quo est judicium Danielis Wyttenbachii, B. C. Vol. III. P. IX. p. 93. sqq. De Pollionis sententiâ Suetonius in Caes. c. 55. abjudicat Caesari orationem, *apud milites in Hispania* inscriptam, quae ferebatur, quasi posteriori habita proelio; *quo Asinius Pollio ne tempus quidem concionandi habuisse Caesarem dicit, subitâ hostium incursione.* Summam artis historicae laudem Asinio tribuit poeta Horatius; quam declarat cum sagacitate prudentiaque ad rerum causas investigandas et ponderandas, v. 1. sqq.

Motum ex Metello consule civicum,
Bellique causas, et vitia, et modos,
Ludumque Fortunae, gravisque
Principum amicitias, et arma
Nondum expiatis tincta cruoribus,
Periculosae plenum opus aleae,
Tractas:

tum

tum eximia res dilucide exponendi describendique facultate, v. 17. sqq.

Jam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis aures: jam litui strepunt;
Jam fulgor armorum fugacis
Terret equos, equitumque voltus.
Videre magnos jam videor duces
Non indecoro pulvere sordidos,
Et cuncta terrarum subacta,
Praeter atrocem animum Catonis.

conf. Mitscherl. in Argumento et Annotatione. Valerius Maximus denique, l. l., historiarum Asinii cum ejusdem praestantiae significatione meminit, ut historicum *non minimam partem Romani stili* appellet.

Sunt veteres Historici minime frequentes in rerum factorumque testibus excitandis; neque enim erat ista religio ea aetate postulanda; quod observavit Wyttenbachius, V. Cl., B. C. l. l. p. 91. Quo in officio si majori cum diligentia versari sive voluissent, sive debuissent, ut nos adeo perspectum haberemus, ex quibusnam fontibus res tradita quaeque manasset, historiarum Asinii plura vestigia apud rerum Romanarum Scriptores exstarent. Nunc vero res eo devenit, ut major numerus sit eorum, de quibus hoc, Asinii eos auctoritate usos fuisse, in conjecturae positum sit probabilitate, quam de quibus hoc diserto testi-

monio constet. Igitur Plutarchus Asinii historias, quas in vitis Pompeji ac Caesaris laudavit, insuper adhibere potuit ad vitas M. Crassi, Catonis minoris, Ciceronis, Antonii, Bruti. Plinium probabile est in Historiae Naturalis Librum VII. plura etiam ex Asinio retulisse, praeter unam illam traditionem, quam suis indiciis persecuti sumus. De Appiano et Valerio Maximo idem statui potest. Neque Dionem Cassium verosimile est Asinii fidem neglexisse. Et cum Polyaenus ac Frontinus complura Caesaris stratagemata prodant, quae hausta non sunt ex ipsius imperatoris Commentariis, ad manum isti inter alia habuisse possunt Asinii scripta, ex quibus sua depromserint. Atque haec in transcursu ita animadversa sunto: addamus de aliis quibusdam Asiniis, quorum quidem aliqua ad nos pervenit doctrinae fama, ne diversorum auctorum confusio sequatur.

Igitur primum alius Asinius est, quem Suidas v. Πωλίων, T. III. p. 164. tradit scripsisse ἐπιτομὴν τῆς Φιλοχόρου Ἀτθίδος· Ἀπομνημονεύματα Μουσωνίου τοῦ φιλοσόφου· Ἐπιτομὴν τῶν Διοφάνους Γεωργικῶν, ἐν βιβλίοις β'. Quid quod ἀπομνημονεύματα Μουσωνίου τοῦ φιλοσόφου non eumdem auctorem habere possunt, Asinium Trallianum, Sophistam, qui in Timagenis scholam successerit. Hic enim probabiliter fuit Oratoris libertus, ut supra vidimus: ἀπομνημονευμάτων scriptionem ad juniorem quemdam Pollionem pertinere, jam monuerat Jonsius, de Scriptt. Hist. Philos. III. 7. p. 246. sqq.,

con-

conjecturâ prolatâ de Claudio Pollione, Plinii junioris amico, (vid. Plin. Epist. VII. 31.), p. 249., quam P. Nieuwlandius, V. Cl., postea, in dissert. sua de Musonio Rufo, C. II. Sect. I. p. 17. sqq. accuratius definitam firmavit. conf. Heeren, ad Stobaei Ecl. Phys. Eth. L. II. c. 9. § 8. P. II. p. 426, 427. et in Commentat. de font. Eclog. Joh. Stobaei, § 47. P. II. T. II. p. 205. Wyttenb. B. C. Vol. II. P. VIII. p. 130. et Auctt. laudd. a Krugio, Gesch. der Philos. § 160. not. f. Alius fuit Valerius Pollio, quem composuisse Ἀττικῶν λέξεων συναγωγὴν κατὰ στοιχεῖον, auctores sunt Suidas in catalogo Scriptorum, ex quibus Lexicon suum compilavit, v. Πωλίων Ἀλεξανδρεὺς, l. l. p. 164. et v. Διόδωρος ὁ Οὐαλέριος, T. I. p. 594. et Photius, in Biblioth. Cod. CXLIX. p. 169. edit. D. Hoeschel. Ab Oratore diversus item fuit Pollio Grammaticus, cujus libellum περὶ των παρὰ γράμμα ἁμαρτανομένων, Suidas laudat, v. Πωλίων, ἢ Πολίων, T. III. l. l. Eumdem, sive alium quemdam Grammaticum, respexit Charisius, Inst. Gramm. L. I. p. 64. *Puer et in feminino sexu antiqui dicebant, ut Graeci ὁ παῖς καὶ ἡ παῖς· ut — in Nelei carmine, eoque prisco,* S a u c i a p u e r f i l i a s u m a m: *ubi tamen Varro* p u e r a *putat dictum, sed Aelius Stilo, magister ejus, et Asinius contra.* Forte idem est Pollio, qui laudatur Prisciano, L. X. p. 888.; cujus loci verba supra apposuimus, in Cap. II. Sect. I. p. 80. Grammaticus

etiam fuisse videtur, et a nostro diversus, Asinius Pollio, cujus explicationes locorum Virgilianorum excitavit Servius ad Virgil. Aeneid. II. 7. VI. 554. XI. 183. Grammaticus quoque intelligi potest Asinius, cujus libellum *in Valerium* commemorat Charisius, p. 75. Verba retulimus l. l. p. 79.: praesertim si Valerium itidem Grammaticum facias, quo nomine cum plures alii fuerunt, tum Valerius Cato et M. Valerius Probus. De illo prodidit Sueton. de ill. Gramm. c. 11.: de Probo vid. Suet. l. l. c. 24. et Gell. N. A. I. 15. coll. Vinet. ad Suet. l. c. et J. F. Gronov. ad Gell. l. l. Porro nullo quis jure Asinium nostrum eumdem suspicetur, quem Suidas, v. Ἀσίνιος, T. I. p. 350. primum Graecam historiam Latine consignasse narrat. Similis causa est alius Pollionis, cujus scripta περὶ τῆς Κτησίου κλοπῆς, et περὶ τῆς Ἡροδότου κλοπῆς, memorantur a Porphyrio, L. I. τῆς Φιλολογίας ἀκροάσεως apud Eusebium, P. E. L. X. c. 3. p. 467. D. De Asinio Pollione apud Hieronymum in Jon. c. 4. et in Epist. ad Augustin. Epist. LXXV. c. 7. § 2. in Opp. Augustin. edit. Benedict. T. II. p. 135. B. videbimus in Cap. III.

Ultimo hujus Capitis loco de Asinii studiis poeseos explicandum est.

Pollio optimus poematum judex ab optimis ejus aetatis Poetis praedicatur: de quo Virgilius cecinit, Ecl. III. 84, 85.

Pol-

Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam:
Pierides, vitulam lectori pascite vestro.

Vitulam judici carminum suorum intelligenti elegantique, velut judicii ingeniique praemium, destinans; ex verissima interpretatione Heynii, Viri Celeberrimi. Horatius, Serm. L. I. Sat. X. 85. Pollionem paucis illis amicis annumerat, quorum censurae carmina sua plane committat; quibus si placeant, praeclare secum agi existimaturus esset, ceterorumque judicia ac vulgi rumores parum curaturus. In hac judicandi elegantia Pollio praeterea carminibus ipse pangendis inclaruit: cujus laudis testimonium Virgilius immortalitati commendavit; l. l. v. 86. sqq.

Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,
Jam cornu petat, et pedibus qui spargat arenam.
Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet.
Mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.

Nova carmina cogitanda sunt cum Servio et Heynio, praeclara, qualia non ante facta: nam nimis subtilis ac docta est Burmanni explicatio, qui ex Acrone ad Horat. Epist. I. Epist. III. 36. intelligi jubet de carmine Epico, in quod tauri praemium conveniat. Christoph. Landinus etiam, ad Horat. l. l., heroici carminis scriptionem Pollioni tribuit, nescio quo ductus argumento, certe de veritate abductus. *Quo te quoque gaudet*, scilicet, *venis-*

 se,

se, i. e. ad carminum faciendorum facultatem, vid. Heyn. ad h. l.

Genus, in quo poeta Asinius versatus sit, definivit Horatius, Carm. L. II. Carm. I. 9. sqq.

Paullum severae Musa tragoediae
Desit theatris: mox, ubi publicas
Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno.

et Serm. L. I. Sat. X. 42., 43.

Pollio regum
Facta canit, pede ter percusso:

i. e. tragoedias scribit jambis ternariis. Jambos enim trimetros tragoediarum versus esse, notarunt quoque Acron et Porphyrio ad Horat. l. c. Scholiastes Cruquii ad h. l. idem animadvertit, et Horatii mentem ita interpretatur, ut Asinium Poeta celebret *optimum Tragoediographum*: quem Philargyrius ad Virgil. Ecl. VIII. 10. *tragoediarum scriptorem* vocat. Asinius vero iterum Virgiliano praeconio ornandus est, Ecl. VIII. 6. sqq.

Tu mihi seu magni superas jam saxa Timavi,
Sive oram Illyrici legis aequoris; en erit unquam
Ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem

Sola

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?
A te principium; tibi desinet; accipe jussis
Carmina coepta tuis, atque hanc sine tempora circum
Inter victrices ederam tibi serpere lauros.

Pollionem enim his versibus spectari, non Augustum, aut alium quemquam, magis in confesso est, quam quod Virorum doctorum laudatis testimoniis confirmari oporteat. Ad v. 10. *sola Sophocleo*, etc. Servius, *alii*, inquit, *ideo hoc de Pollione dictum volunt, quod et ipse utriusque linguae Tragoediarum scriptor fuit.* Quae ratio una vera est: nam illa *sola Sophocleo tua carmina digna cothurno*, haud procul dubio notant, *tragoedias tuas, Sophocle dignas*, sive ad *Sophocleam gravitatem majestatemque compositas.*

Has poeticae facultatis in Pollione laudes, si satis memoria tenuissent A. Schottus et N. Faber, non tantopere laborassent in Senecae Rhetoris verbis, Suas. II. p. 18., *ut poeta Pollio Asinius ajebat:* unde factum est, ut ceteri etiam V. V. D. D., J. Gruterus, J. F. Gronovius, et J. Schultingius miro consensu illud *poeta* corrigere, aut evellere e textu voluerint. Cetera minus recte sese habeant, quae mutata et variis modis tentata, nec dum sanata sunt, illud *poeta*, donec ejusmodi lectio inventa fuerit, quae evidenti probabilitate animum feriat, nobis quidem hac se ratione tueri videtur, quod demonstrari haud facili negotio potest, quomodo haec ignota fere in vulgus,

gus, et ab hoc loco aliena, facultatis poeticae Pollionis praedicatio in textum irrepere potuerit. Neque enim videntur postea Pollionis tragoediae frequenti lectione tritae fuisse: quod vel apparet ex Quinctiliani silentio, I. O. X. 1.; cum unus Auctor dial. de Orat. c. 21. Asinii tragoedias memoret. Haberet autem talis, qualem desideramus, a posterioribus judicibus facta mentio certiorem praestantiae significationem, quam ubi conspicuae dignitatis auctor ab aequalibus, iisque poetis, in coelum fertur. Ceterum haec ita dicta sint: nam ipsa res non amplius est nostri judicii.

Ex Asinii fabula aliqua unum nobis versiculum deprehendisse videmur apud Charisium, l. l. p. 77. cujus verba referemus: *Et antistes habet antistita; ut Varro divinarum quarto, et Cicero in Verrem quarto: et Pollio*, veneris antistita cypras. Pro *cupras* reponendum esse *Cypriae*, monuit me Hamakerus, V. Cl.; unde existit Jambicus dimeter acatalecticus, in hunc modum constituendus:

Vĕnĕrĭs | āntī|stĭtă Cў|prĭaē.

Pes secundus est spondaeus ex Comicorum et Phaedri more. Ipsum versiculum suspicabatur Cl. Hamaker ex Choro repetitum esse, a Veneris sacerdotibus cantato.

Epigrammata, quod studii genus maximos Oratores et in oblectationibus habuisse, et in laude po-

posuisse, Plinius Secundus observavit Epist. VII. 4., Asinium quoque scripsisse, ex ejusdem Plinii Epist. V. 3. conficimus: ex quo genere nihil aetatem tulit: quamquam Asinii Quadrati epigramma est apud Brunck. Anal. II. 299. III. 13. edit. Lips.; quod, si fides lemmati, in membrr. addito, habenda est, Sullae aetate scriptum esse videtur. Salmasius tamen, annotante Jacobsio, in Catalog. Epigramm. Antholog. T. XIII. p. 865., in nota inedita, de illa pugna cogitabat, qua Catilinariae factionis vires fractae sunt. Operae pretium duximus, rem referre; nam fusius inquirere, et ipsa rei vetat obscuritas, et nihil ad hunc locum, et, si ad hunc locum, nihil ad institutum nostrum.

CAPUT III.

DE ASINIO POLLIONE SCRIPTORUM CENSORE.

Romae posteaquam in liberalissimo bonarum cultu literarum, ingenii monumentorum magna copia exstitit atque varietas, hujus quasi literatae civitatis censendae provinciam multi sibi sumserunt. Cujus quidem provinciae cum pars sit, errorum alienorum notatio, sive res spectans, sive verba, si quae sunt ab insignibus viris de aliorum scriptis prodita judicia, illa eo minus a nobis negligi par est, quo propius censores isti ab auctorum aetate abfuerunt, et quo minorem censura ab invidiâ, aliove quodam humanae vitiositatis affectu, labem suscepit. Ad hoc censurae munus cum se dedisset Asinius Pollio, in eo ita se gessit, ut aequalibus Scriptoribus nonnullis judicio suo notatis, ea de causa ipse a posterioribus censoribus plerisque notam subierit. Complexus est autem cen-

censurâ suâ, quantum quidem nos novimus, Sallustium, Caesarem, Ciceronem, Livium. Quapropter magni viri super praeclaris praestantium ingeniorum operibus judicio tractando, hunc peculiarem, eumque ultimum disputationis nostrae, locum destinavimus. De singulis deinceps videamus.

C. Sallustium Crispum Asinius reprehendit in quadam epistola, quam ad Plancum scripsit, auctore Gellio, N. A. X. 26., eique peculiari, ut videtur, libello objecit obsoletorum verborum studium, in quo ipsi auxiliatum fuisse Attejum Philologum retulit. Suetonius, de ill. Gramm. c. 10., de Attejo, inquit, *Asinius Pollio, in libro, quo Sallustii scripta reprehendit, ut nimiâ priscorum verborum affectatione oblita, ita tradit.* In eam rem adjutorium ei fecit maxime quidam Attejus praetextatus nobilis Grammaticus Latinus, declamantium deinde adjutor atque praeceptor, ad summam Philologus ab semet nominatus. In epistola ad Plancum Asinius notavit, quod Sallustius in primo historiarum maris transitum transmissumque navibus factum, *transgressum* appellavit; eosque, qui fretum transmiserant, quos *transfretasse* dici solitum est, *transgressos* dixit. Gellius l. l. ipsa verba Sallustii ex Pollione posuit, ac dein vituperium, allatis exemplis, confutare instituit. Arx vero et caput reprehensionis,

qua in Sallustium Pollio animadvertit, affectationem spectabat verborum priscorum: in cujus animadversionis societatem Asinio multi se aggregarunt. Nam Augustus Sallustium verba excerpsisse ex Originibus Catonis tradidit, testante Suet. in Aug. c. 86.; et Lenaeus, Pompeji M. libertus, Grammaticus, Sallustium *priscorum, Catonisque verborum ineruditissimum furem* appellavit, auctore eodem Suet. de ill. Gramm. c. 15.: Quinctilianus autem, I. O. VIII. 3. p. 689., noto Crispum epigrammate incessi scribit:

Et verba antiqui multum furate Catonis
Crispe, Jugurthinae conditor historiae.

Hinc *dicta* apud Sallustium *sancte et antique* refert, ibid. p. 695., *ductare exercitus* et *patrare bellum.* vid. Pareus et Burmann. ad h. l. In eodem genere A. Gellius Sallustium vocavit *novatorem verborum*, N. A. I. 15., ejusque *novandi studium* praedicans, ibid. IV. 15., nonnulla ait videri posse non indigna reprehensione: Quinctiliano rursus, *ex Graeco translata esse Sallustii plurima*, observante, I. O. IX. 3. p. 804. Huc etiam pertinent exempla notata a Seneca philosopho, Epist. CXIV.

Pollionis Asinii de C. Sallustio judicium intelligi vix potest, quo jure multis visum sit maledicentiae et iniquitatis accusari posse, nisi reliquam etiam

etiam turbam censorum ejusdem malevolentiae crimine tenere velint, cujus hi causas procul habuerunt. Et si aliqua in his rebus vis est auctoritatis, quae certe maxima est, Asinium Pollionem censorem commendat cum insignis peritia judiciique subtilitas, tum aetatis ratio, quae efficit, ut in singulis Scriptoribus aequalis optime de novis obsoletisque verbis, eorumque proprio usu, pronuntiare atque edocere posteritatem possit. Praeterea testis adest ipse Sallustius, qui suam, a Pollione ipsi objectam affectationem, cujuscunque aevi judicibus comprobet: cujus scripta quamdiu in hominum manibus erunt, tamdiu Pollionis censurae sua fides constabit.

De C. Julii Caesaris Commentariis, Gallici Civilisque belli Pompejani, Asinius ex altero illo censurae genere ita judicavit, ut non orationem spectaret, sed res ac narrationis veritatem. Testimonium est apud Sueton. in Caes. c. 56. Caesaris Commentarios *Pollio Asinius parum diligenter, parumque integrâ veritate compositos putat: cum Caesar pleraque, et quae per alios erant gesta, temere crediderit; et quae per se, vel consulto, vel etiam memoria lapsus, perperam ediderit: existimatque rescripturum et correcturum fuisse.* De hoc Pollionis judicio ita sentiendum esse opinamur, ut illud et magno pretio statuamus, et gravissimam ei auctoritatem tribuamus. Nam primum Asinius Caesaris rebus omnibus, domi militiaeque

gestis, ita interfuit, ut rerum cum interiori cognitione, tum frequenti usu valeret; si animum ad scribendum adjecisset, ceterorum fidem auctorum dissensu suo elevaturus, consensûs demum sui accessione confirmaturus. Dein Asinius eo fuit necessitudinis vinculo cum Caesare conjunctus, ut de ejus scriptis si judicaret, benignissime judicaturus esset; atque hanc prope de se metum praeberet, ne censurae integritati amor ac pietas officerent. Ad haec Pollionis de Caesaris Commentariorum historica veritate unicum ex tota antiquitate judicium superest: ceteri de orationis praestantia prodiderunt, de rerum traditarum fide non item. Igitur a nemine Pollionis judicium reprehensum esse accepimus; praeterquam a recentioribus quibusdam Criticis, quorum in hac causa nulla est auctoritas. Contra Pollionis censuram probasse videtur rerum Romanarum gravissimus auctor, Appianus, observante Schweighäus. ad Appian. T. III. p. 763, 764.; et Plutarchus adeo in vitis suis Caesaris Commentariis raro ac parce usus est. Ipsa denique operis componendi ratio ejusmodi fuerat, ut manum rescribentis et corrigentis aliquando exspectare videretur: nam Commentarios suos Caesar non meditate, neque in otio, sed inter armorum strepitum rerumque actionem ita conscripserat, ut de singulis eventibus subito in chartam referret: non ipse historiam condens, sed alios volens habere parata, unde

su-

sumerent, qui vellent scribere historiam. Ex hac subitanea opera quantam universa scriptio integrae veritatis accurataeque fidei jacturam fecerit, vel nobis tacentibus intelligitur.

Adversus Ciceronem Pollio Asinius, quod saepius a nobis animadversum est, iniquior extitit; cujus quidem partem iniquitatis transtulit ad Tullianae censuram orationis. Igitur Ciceronianae aetatis eloquentiaeque velut alumnus, uti dixit Vellejus, II. 36. § 2., primum habuit quamdam cum Ciceronis facundia contentionem, quam aliquando declaravit, cum ipsum Sextilius Hena, in domo Messalae Corvini recitaturus, advocasset, atque in principio statim carminis sui hunc versum non sine assensu recitasset:

Deflendus Cicero est, Latiaeque silentia linguae.

Pollio enim Asinius non aequo animo tulit, sed *Messala*, inquit, *tu, quid tibi liberum sit in domo tua, videris: ego istum auditurus non sum, cui mutus videor.* Atque ita consurrexit, ne recitationi interesset. Auctor est Seneca Rhetor, Suas. VI. p. 50. Dein Asinius se dedit ad dictionis vitia Ciceronianae insectanda. Testimonii fides est penes Quinctilianum, I. O. XII. 1. p. 1050. *Neque ipsi Ciceroni*, ait, *Demosthenes videtur satis esse perfectus, quem* dormitare *interim dicit: nec Cicero Bruto Calvoque, qui*

cer-

certe compositionem illius etiam apud ipsum reprehendunt: nec Asinio utrique, qui vitia orationis ejus etiam inimice pluribus in locis insequuntur. Pater Asinius utrum Ciceronem jure an injuriâ reprehenderit, a nobis quidem, in hac monumentorum penuria, dijudicari nequit: sed quocunque modo fecerit, si inimice fecit, culpandus est. Notior res est ac testatior de filio Gallo, qui libros scripsit *de comparatione patris et Ciceronis*, auctore Plinio, Epist. VII. 4., qui in iis invenisse se refert epigramma Ciceronis in Tironem suum, quo lecto hos extudit versiculos, ex quibus de scriptionis Galli proposito apparet:

Quum libros Galli legerem, quibus ille parenti
Ausus de Cicerone dare est palmamque decusque,
Lascivum inveni lusum Ciceronis, et illo
Spectandum ingenio, quo seria condidit, et quo
Humanis salibus, multo varioque lepore
Magnorum ostendit mentes gaudere virorum.

Ciceronis defensionem adversus Asinii Galli libros composuit Claudius Imperator, ut constat ex Sueton. in Claud. c. 41. Ex Galli libris, ut videtur, specimen reprehensionis Tullianae servavit Gellius, N. A. XVII. 1. *Ut quidam*, inquit, *fuerunt monstra hominum, qui de diis immortalibus impias falsasque opiniones prodiderunt: ita nonnulli tam prodigiosi, tamque vecordes extiterunt*

runt (in quibus sunt Gallus Asinius, et Largius Licinius, cujus liber etiam fertur infando titulo, Ciceromastix) ut scribere ausi sint, M. Ciceronem parum integre atque improprie atque inconsiderate locutum. Atque alia quidem, quae reprehenderunt, neque dictu, neque auditu digna sunt. Sed enim in hoc, in quo sibimet ipsi praeter cetera esse visi sunt verborum pensitatores subtilissimi, cedo, quale id sit, consideremus. Hinc exemplum sumit ex Ciceronis Oratione pro Coelio c. 3. quo loco reprehensores isti existimabant verbum *poenitere* non tantum non proprie, sed inepte etiam positum esse. De qua objectione Gellius l. l. cum explicando, tum refutando, fusius disserit: qui L. I. c. 22. patris Asinii, tamquam probatae Scriptoris Latinitatis, auctoritate utitur ad tuendam significationem verbi *superesse*, pro *superstitem esse:* quoniam Asinius Pollio in epistola ad Ciceronem, ad Div. X. 33. dixerat, *neque deësse reip. volo, neque superesse.*

In Titi Livii, celeberrimi historici, scriptis, Asinius Pollio reperisse sibi visus est quamdam *Patavinitatem:* de qua Pollionis censura dissertationem conscripsit Dan. Georg. Morhofius, quae edita est inter ejus Dissertat. Academ. Hamb. 1699. 4. p. 471. et repetita in Livii editionis Drakenb. T. VII. Est vero hujus judicii testimonium positum in auctoritate Quinctiliani, qui, I. O. L. I. c. 5. p. 65, 66., *peregrina*, inquit, *porro*

ex omnibus prope dixerim gentibus, ut homines, ut instituta etiam multa, venerunt. Taceo de Thuscis et Sabinis et Praenestinis quoque: nam ut eorum sermone utentem Vectium Lucilius insectatur; quemadmodum Pollio in Livio deprehendit Patavinitatem, licet omnia Italica pro Romanis habeam: et L. VIII. c. 1. p. 667, 668. *verum illic tantum, ne vitiosa essent, praecepimus: hîc non alienum est admonere, ut sint quam minime peregrina et externa. Multos enim, quibus loquendi ratio non desit, invenias, quos curiose potius loqui dixeris, quam Latine: quomodo et illa Attica anus Theophrastum, hominem alioqui disertissimum, annotatâ unius affectatione verbi, hospitem dixit: nec alio se id deprehendisse interrogata respondit, quam quod nimium Attice loqueretur. Et in T. Livio, mirae facundiae viro, putat inesse Pollio Asinius quamdam Patavinitatem. Quare si fieri potest, et verba omnia, et vox, hujus alumnum urbis oleant, ut oratio Romana plane videatur, non civitate donata.* Haec loca, quamvis longiora, quod integra apposuimus, id nobis mox in gravioribus profuturum est.

De objectâ Livio Patavinitate, quae intelligenda sit, duplex fertur sententiarum genus: alterum eorum, qui Pollionis reprehensione notari dicunt partium, i. e. Pompejanarum studium, (conf. Tacit. Annal. IV. 34.), in Livii historia manife-

festum; aut patriae suae civiumque laudes parte operis jam deperditâ effuse amplificatas; alterum, qui orationis formam argui putant. Ad prius genus pertinent Paul. Benius Eugubinus, (vid. Laur. Pignorius, Symbol. Epist. L. I. Epist. XLIV. p. 191. Patav. 1629.), Budaeus, Tomasinus in Vit. Liv. § 36, 37, 38., Joann. Buherius in edit. Liv. Drakenb. T. VII. p. 80., alii, quos refellit Morhof. in Dissert. laud. c. II. Ex altero genere Viri docti Patavinitatem alii interpretati sunt orthographiae peregrinitatem, quemadmodum Laurent. Pignorius (de quo vid. Morhof. c. III.) qui in dictâ Epist. Livium contra Benii incursiones vindicans, Asinium Pollionem dicit l. l. p. 191., *studio magis partium, quam Livii aemulatione, Patavinis infensum;* alii pronuntiationis vitium, ut Rapinus (vid. Morhof. l. l. c. III. extr.); alii copiosiorem orationis prolixitatem, ut Ptolemaeus Flavius, Conjectan. c. XLV. in Gruter. Lamp. T. I. p. 972.; stili proprietatem ab urbani sermonis puritate abhorrentem multi; inter quos etiam Jac. Facciolatus, in Orat. et aliis Opusc. Patav. 1744. Epist. X. p. 436. in Liv. edit. Drakenb. l. l. p. 244, 245. vid. Morhof. c. V. et Henr. Chr. Crellii, de Titi Livii dictione, Programma, Francof. ad Viadr. 1729. 4. Alii Asinii censuram ita in Livii laudem contorquent, ut dicant indicari exquisitam quamdam orationis severitatem ac diligentiam. vid.

Facciolat. l. l. p. 245. Alii autem jure Livium notari ab Asinio opinantur, alii injuria. Illos flagellis caedit Morhofius, (vid. etiam Ptolem. Flav. l. l. et Franc. Flor. Sabin. Lectt. Subcesiv. L. I. c. 2. in Gruter. Lamp. T. I. p. 1003, 1004.), et Livii patrocinio suscepto, censorem Pollionem maligne suspicatur, quia Livianae eloquentiae excellentiam assequi non potuisset, majorem Livii praestantiam, quasi illatam suae mediocritati injuriam, calumniando historico ultum ivisse. vid. c. IV. XVI. et passim. Verum neque est haec digna Pollione sententia, neque ipsa res nostri judicii.

Etenim magni viri facilius convitiis scinduntur, quam ratione confutantur: quod ita expertus est Morhofius, ut Asinianam morositatem asperitatemque magis verbis insectaretur, quam re probaret. De Pollionis super aliis Scriptoribus censura modo vidimus: cetera documenta Asinianae indolis durae, truculentae et contentiosae, quae quidem documenta appellantur Morhofio, non sunt documenta, sed calumniae, quas nec referre, nec refutare dignum est tanto viro, quantus Asinius Pollio fuit. Sed quae insuper est ista temeritas, quae ibi suam sapientiam jactat, ubi ne judicio quidem locus esse potest? Enimvero aut fallor, aut vel sagacissimus hodierni temporis judex non olfaciet subtiles illas flexiones, tenuissimaque, et sensum pene fugientia, discri-

mi-

mina, quibus Patavinitas, quam in Livio Asinius deprehendit, a Romanae Latinitatis integritate deflectit. Denique Quinctiliani in Pollionis animadversione acquiescentis silentium confidentes istos censores reprimere debuerat. Quinctilianus enim, quamvis magna Livii, quem vel pueris legendum commendat, admiratione completus, Historici causam non deseruisset, si malignius quam verius eum vituperari putasset. Nunc vero aperte censoris auctoritatem sequitur, qui Latine loquendi curam praecipiens, quam facile in contrarium vitium incidamus, probaturus, primum ad Theophrasti, dein ad Livii exemplum provocet, qui quamvis sit mirae facundiae vir, tamen a Patavinae proprietatis insidiis immunem se et intactum servare haud potuerit. Quem peregrinitatis scopulum postquam hoc insigni exemplo declarasset, illum studiose cavere jubet. Eodem modo in L. I. c. 5. non defendit Livium a Patavinitatis crimine, sed ita culpam mitigat et excusat, ut Italica dicat pro Romanis haberi posse. Unde optime confirmatur, quod opinabamur, Patavinitatem in minimis quibusdam flexionibus ab urbani sermonis ingenio positam fuisse.

Si tamen de ipsa Liviana scribendi ratione aliquid dicendum sit, judicium est principis literarum, Danielis Wyttenbachii, in B. C. Vol. III. P. XII. p. 27, 28., qui Livium censet, quam-

vis in ceteris omnibus orationis partibus egregium, tamen in narratione, quae est praecipua et longe maxima historiae pars, ac veluti corpus, compositionem habere, non illam libere ac sine salebris fluentem, sed quasi compedibus vinctam, brevitatis gravitatisque consectatione subinde ambiguam, trajectionibusque impeditam: igitur in hoc duro narrandi genere Wyttenbachius causam fuisse suspicatur, ut Patavinitatem Livio Asinius Pollio objiceret: quod item senserunt Georg. Trapezuntius, Jo. Sturmius et Jo. Buherius, citati Morhofio l. l. p. 42. sq. et p. 80. Magis universe Jac. Facciolatus l. l. peregrinitatem in Livio concedit: a Wyttenbachii judicio fortasse non dissensurus, si rem diligentius et accuratius tractandam suscepisset.

Ab eadem Livii proprietate, ut hoc ultimo tandem loco addam, Wyttenbachius V. Cel. l. l. rationem arcessit, quare historiarum Scriptores Latini Livium non item ac Sallustium imitati sint. vid. Ruhnken. in Praefat. ad Vellej. extr. Cui rationi, si in tanti viri sententia meae opinionis levitati locus sit, adjungi forte possit altera causa, cur rerum Romanarum Auctores potius Sallustianae brevitati adhaeserint, quam in lacteam se Livii ubertatem effuderint ac relaxaverint, ex ipso repetita dicendi genere, et velut characteris diversitate. Etenim copiosum orationis genus, quod eloquentiae velut flumine exundat, et alte-

rum

rum illud, strictum, concisum, et brevitate abruptum, ita discrepare videntur, ut hoc, usu, exercitatione, exemplis, maxime assequaris: alterum, nisi natura adjuvet ingeniique facultas sive potius felicitas singularis, nullo sibi comparare negotio possis. Est enim copiosa sermonisque exuberantiâ tamquam fluens facundia, magis sua, et in naturae facilitate ingeniique dote posita: praegnans vero, sententiisque magis, quam verbis frequens oratio melius potest ab exemplo capi, studioque et industria in imitatorem transferri.

Atque haec de Pollionis Asinii censuris habuimus, quae diceremus; unde explicandus est Hieronymus in Jon. c. 4. et in epist. ad Augustin. Epist. LXXV. c. 7. § 22. in Opp. Augustin. T. II. p. 135. B. edit. Benedict. In Jon. c. 4., ardelionis cujusdam, qui in censoris officio obeundo se magnifice circumspiciebat, vanitatem irridet, quippe qui mirificâ quadam stoliditate genus suum ad Pollionem Asinium referret. In epist. ad Augustin. LXXV. l. l. eumdem Hieronymus vespertilionem traducens, jactantiam ejus ita ludibrio exponit, ut augusto eum Asinii Pollionis nomine ornet.

Epilogus.

Haec nos de C. Asinii Pollionis rebus gestis ac studiis doctrinae disputare voluimus: quibus

si

si id consecuti fuerimus, ut ad insignis Viri memoriam digne nec inutiliter commendandam aliquid ornamenti attulerimus, nobis videbimur, pro nostrarum modulo virium, et hujus institutae scriptionis consilio satisfecisse, et suscepti laboris fructum percepisse.

❀ ❀
❀

T H E S E S.

I.

Vera Socratis sententia non adeo e Platone, quam e Xenophonte cognoscenda est: sed formam philosophiae Socraticae optime Plato expressit.

I I.

Recte Lucullus apud Cic. Acad. II. 5. e Scepticorum numero tolli jubet et Platonem et Socratem.

I I I.

In explicanda Platonis philosophia, parum est tribuendum Aristotelis auctoritati.

I V.

Doctrinae morali Aristippi anteponenda est disciplina Epicuri: de quo verius multo et rectius, quam reliqui Stoici, pronuntiavit Seneca, de vit. beat. c. 13.

V.

Immerito in judicio impietatis accusatus est Euripides, testante Aristotele, Rhet. III. 15., quasi perjurii suasor Hippolytum haec dicentem induxisset, in Hippol. v. 612.

ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.

conf. Cic. de Offic. III. 29. Ovid. Heroid. XXI. 135.

V I.

Primam partem carminis Horatiani, L. II. Od. I., adversus Lambinum aliosque, de historiae scriptione interpretamur.

V I I.

Male item nonnulli Horatium putant voluisse hoc carmine Pollionem ab historia condenda deterrere.

V I I I.

De Asinii Pollionis in bellorum civilium calamitatibus vita publica, consiliique rationibus, universe ita sentimus, ut eum et temporibus paruisse existimemus, et sibi optime constitisse.

IX.

Declamandi studium, quod post libertatis amissionem Romae floruit, magno momento valuit ad omnem eloquentiae sanitatem funditus debilitandam.

X.

Errant magnopere illi, qui Ciceronem nullam certam de philosophia sententiam habuisse contendunt.

AD

AMICUM SUUM

JOHANNEM RUDOLPHUM THORBECKE,

SUMMOS IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS HONORES CAPESSENTEM.



Sic tibi crescit, mihi care, multum
Fama, Romano melior triumpho,
Sic dies quisquis cumulos honorum
Fert tibi plenos!

Hoc tibi lauris gravido futuris,
Utili nobis, sobolique serae,
Hoc die nostras stimulat medullas
Rara voluptas.

Mi-

Mira sors vitae! mihi sic placebit
Mensis, heu fato nimium cruento
Qui mihi carum eripuit Johannem!
Junius ille.

Vivat, hic vivat populo Batavo
Graeciae sollers Latiique cultor,
Lucis illustrans radiis serenae
Palladis aedes.

H. C. van der BOON MESCH.

CASP. JAC. CHRIST. REUVENS

EPIMETRUM

DE QUIBUSDAM MONUMENTIS

CUM POLLIONIS HISTORIA CONJUNCTIS.

AD

THORBECKII

COMMENTATIONEM

DE

C. ASINIO POLLIONE.

CASP. JAC. CHRIST. REUVENS

EPIMETRUM

DE QUIBUSDAM MONUMENTIS

CUM ASINII POLLIONIS HISTORIA CONJUNCTIS.

Asinius Pollio, vir haud minus quam Pericles, quam Maecenas, quam postea Herodes Atticus, de Musis bene meritus, cujus res a Thorbeckio nostro diligentissime perscriptae sunt, mereri videtur, ut quorundam descriptionem monumentorum, quorum notitia ad ejus historiam illustrandam pertinet, Thorbeckianae commentationi adjiciamus. Quorum cum jam suo loco concinnam ille mentionem fecerit, nos merâ tabularum lithograptarum interpretatione defungemur.

Et primum quidem dicamus de *Atrio Libertatis*, ad quem locum major erit disputatio de *atriis*. Sequatur *Scholae Rhetorum*, Pompejis repertae, descriptio. Denique pauca possunt addi de ipsius *Pollionis imaginibus*.

§ I. *De Atrio Libertatis.*

(ad p. 40.)

De atriis rectissime Thorbeckius lectores ablegavit ad Schneideri copiosam disputationem, qui fere omnes veterum locos recentiorumque opiniones expendit. Atque utinam ne Schneiderus Vitruvianam operam imperfectam relinquat [a], praeclaris jam accedentibus ex antiquitate subsidiis [b]. Utinam et in domûs Graecae descriptione, quam olim adumbratam in novissimâ Xenophontis Memorabilium editione omisit, sibi tandem satisfaciat! Nam universus hic locus haud exiguâ hodie luce illustratur, erutâ multo majori parte urbis Pompejorum, cujus laudis plurimum Gallis debetur. Hi enim, occupato Neapolitano regno, inde ab anno 1812 strenue continuando effodiendi operam, non tantum aedificia multa luci restituerunt, praecipue moenia, forum et Basilicam [c], sed et auctores

res

a Cujus quartum Volumen promisit anno 1816, in *Praef. ad Xenoph. Memorab.* ed. 3. p. XI.

b Laudavit autem Schneiderus *Marquezii* librum: *Delle case di città degli ant. Romani. Roma* 1795. 8., quem non inspexisse videtur. Hunc ego, his ipsis diebus nactus, examinare nondum potui: nec enim labor est paucarum horarum. Sed desiderium valde leniunt recentissima a Pompejis subsidia.

c Hactenus nota fuerant duo theatra, tria templa, porta una, villa suburbana, et sepulchra quaedam.

res fuerunt communicandorum cum Republicâ litteratorum horum architecturae veteris thesaurorum. Et primus quidem, post Piranesium antiquiorem, Mazoisius, V. D. Gallus, edidit splendidum opus *Les Ruines de Pompeji* [d]; quem secutus Britannus vir nob. G. Gellius, socio Architecto P. Gandio, scripsit *Pompejana*, eximiae libellum elegantiae et diligentiae. Mazoisii opus non vidi; sed si vere ejusdem est opusculum, quod illi tribuitur, eruditum et elegans, sed sine iconibus, *le Palais de Scaurus*, hoc poterit opinionum ejus quasi summa et compendium haberi. Itaque quod in Aegypti descriptionibus, idem in Pompejorum obtinet, ut e populorum aemulorum operâ inter se comparatâ maxima veri species efficiatur.

E binis aedium ichnographiis, quas exhibent Gellius et Gandius, alteram domûs minoris, quae nomen gerit adscriptum *C. Sallustii*, nos repraesentamus *Tab. I.*; describimus autem secundum eosdem, additis paucis conjecturis propriis. Domus illa vulgo *Actaeonis* dicitur, a parietis picturâ ibidem repertâ, de qua infra sermo erit.

Ichnographia haec est aedificii plano pede exstructi; nam superiora coenacula [e] pauca tantum Pompejis restant: sive quod quaedam domus iis caruerint; sive quod terrae motu conciderint; sive tandem quod

d Cujus jam prodiisse feruntur duodecim fasciculi. Librorum, quorum sequitur mentio, titulos notavit Thorbeckius.

e *Contignatio* vulgo dicitur; nobis *verdieping*. Gallice *étage*.

quod per multas aetates e solo exstantia a loci novis accolis destructa fuerint, direptis in alios usus lapidibus [f]. Sed haec domus omnino iis caruit [g]. Siqui hîc adparent scalarum gradus, a soli inaequalitate proficisci videntur. Nec, puto, tecta Pompejis sunt reperta. Viae angustae, cum semitis sive marginibus altioribus, lapide Vulcanico stratae [h]. Aedificia quaevis, etiam publica, e latere aut caemento, sola moenia saxo quadrato sunt exstructa [i].

Intrantes a viâ per *januam* (1) et *vestibulum*, ut videtur, sive *fauces* (2) [k] statim uno intuitu domus totius longitudinem oculis perlustrabant. Nam pone cavaedium, de quo mox, sequebatur *tablinum* (8), quod non nisi parietibus exiguae altitudinis a porticu, quomodo et porticus a *viridario*, separata fuerunt. Qui parietes humiliores, in tablino et cubiculis, fenestris inserviebant, quibus fortasse au-

f Gell. et Gandius *p.* 11. Habet coenacula villa suburbana. *ibid* *p.* 96.

g *Ib.* *p.* 178. h *Ib.* *p.* 92. i *Ib.* *p.* 7.

k *Vestibulum* adpellant G. et G. *p.* 171, et idem *p.* 180, adlegatis Gellio *N. A.* XVI 5, et Macrobio *Sat.* VI. 8., confirmant. Sed mihi videtur descriptor *domûs Scauri*, *p.* 48. rectius utrumque scriptorem intellexisse, cum *vestibulum* ante aedes collocat. Et huc fere redit Schneideri opinio. *ad Vitruv.* T. II. *p.* 447. *sqq.* Itaque *fauces* erunt dicendae, aut fortasse erit hoc Romanorum *prothyron*, secundum Vitruvium VI. *c.* 7. § 6. (*ed. Schneid.* *vulgo* *c.* 10.) Verum *vestibulum* videtur esse Pompejis ante domum Pansae, multo illam magnificentiorem, apud G. et G. *Tab.* 31, (n. 1.) et *Tab.* 34.

aulaea adpensa singulas domûs partes dividebant, et a visu intrantium arcebant [l].

Sed percurramus singulas partes. Ad latus *januae* (1) utrumque videntur *tabernae* fuisse institorum (2. et 3.) [m]; quarum in alterâ reperta fuerunt vasa olearia, altera autem (4) cum *cubiculo* (5) conjuncta erat, utraque cum *cavaedio*.

Circa *cavaedium* cellae familiaricae dispositae sunt quatuor (10), cubicula scilicet vix 10 pedum in longitudine et latitudine. Tum *tablinum* (8) cum *cubiculo*, sivi forte *triclinio* (9), cum altero *cubiculo* (21), et *faucibus* (14), per quas iter est ad partem domûs posticam. Sed praeterea ad utrumque tablini latus *alae* (11) occurrunt: quo vocabulo generaliori videntur exedrae significari [n]. Altera ala, ad dextram, adjunctum habet *lararium* (13), seu fortasse *pinacothecam*; altera per *cellam* (12) habebat transitum ad *aream*, et ad alium *locum subdialem*, et hinc in *porticum*.

Tablinum itaque cum suis cubiculis (8; 9, 21) circumdabatur *porticu* Ionicâ tectâ: secundum quam *viridarium* erat exstructum, a solo 3 pedum altitudine: fortasse quo suavior esset prospectus e tablino et cubiculis. Scilicet inter et pone columnas

l Cf. G. et G. *p.* 175, 181. *n.* 5. *et* 188.

m *Ib.* *p.* 179.

n G. et G. *p.* 175, 181. *n.* 6. Opportune iidem excitant, *p.* *sq.* *not.* 1. glossas vett., in quibus legitur: *Ala*, σχολὴ, ἐξέδρα. Adde eosdem *p.* 183. *n.* 15.

nas porticûs substructio erat duorum humiliorum parietum (15, 16), qui cum tertio intermedio, item humili, arcae cujusdam more, terram congestam continebant, cum fruticibus et floribus [o], et paries posticus major (pone 19) pictis fruticibus, avibus, caeteris ejusmodi rebus, erat ornatus. In hoc igitur *viridarium* prospectus erat non tantum e porticu tectâ, et tablino cubiculisque, sed etiam e *triclinio* tecto, quod in cornu viridarii fuit (18), cujus lapideae sedes, cum suo mensae pede [p], adhuc exstant. E triclinio per alteram fenestram prospiciebatur in locum subdialem, quem antea nominavimus.

Animadvertenda sunt in viridario *fons* (19); binarum *scalarum gradus* e porticu in viridarium; *cisterna* (17); item altera tecta (20); et ad recipiendum porticûs tectae stillicidium, *canalis* inter muros humiliores (15 et 16); tum tertia *cisterna* (20) in loco subdiali; *latrina* (22); et *janua* domûs *postica* (23).

Hae praecipuae partes videntur fuisse quas inhabitaret dominus. Quibuscum conjunctae fuerunt aliae in usum familiae et fortasse matrisfamilias.

Nam

o Exhibetur ejus orthographia apud G. et G. *Tab.* 31. Simile viridarium in Hieronis nave vigintiremi memorat Athenaeus *Deipn.* V. 10. loco mox excitando. Et quis *Adonidis hortos* e Theocriti *Adoniazusis*, v. 113., et Valckenaerii notâ ad illum locum, ignorat? cf. Casaub. et Schweigh. *ad Athen.*

p *Trapezophorum* vocant G. et G.: cujus vocabuli adhuc incerta mihi videtur potestas. Saltem mensa illa *monopodia* fuit.

Nam sequuntur primo *fauces* (24) ad *aream* ducentes, in qua duo *cinerum receptacula* (25, 25); tum *culina* cum foco (26), et ipsa *latrinam* habens additam, mirâ, ad nostrum sensum, compositione q. Fortasse e *faucibus* (24) transitus aliquis in culinam fuit: sed hac de re mox plura dicentur.

Videlicet secundo memorandae sunt domûs partes, quas Britanni G. et G. *Gynaeconitin* esse suspicantur. Area est, porticu inclusa, in quam nullus, nisi e cavaedio, aditus adparet per *fauces* (27). Habet porticus in utroque cornu *cubicula* tecta (29, 29), cum fenestris sibi invicem oppositis. Quorum cubiculorum alterum venustissimis picturis et pavimentis erat exornatum, Martem cum Venere, et Cupidinem armatum ludentemque exhibentibus; item recessum habet Penatibus Laribusve destinatum. Inter utrumque cubiculum spatium fuit tecto munitum, et paries (28), Actaeonis tabulâ pictus: unde hodie domus ipsa *Actaeonis* vulgo dicitur. Denique e regione parietis sub di-

q Hinc explicant G. et G. jocum Plautinum *in Persâ* IV. 4. 78.

Toxilus. „ Ubi tu nata es?
Virgo. Ut mihi
„ Mater dixit, in culinâ, in angulo, ad laevam manum."

Cf. Taubm. *ad Curc.* IV. 4. 24. Caeterum idem esse locus videtur, quem balneum interpretatur descriptor *Domûs Scauri*, p. 88, e quo libro plura mox adferemus.

divo stat *ara* (31) [r]; totaque haec pars aedificii cum culinâ (26) conjuncta est, in quam alius aditus non apparet.

Sed quam *Gynaeconitin* Britanni, eandem auctor libri, *le Palais de Scaurus* [s], Ἀφροδίσιον interpretatur, adrepto vocabulo ex descriptione navis vigintiremis Hieronis, apud Athenaeum [t], ubi tamen nullâ est τοῦ Ἀφροδισίου explicatio. Locum secretis voluptatibus esse vult scriptor Gallicus, ducto argumento e picturis, praecipue Actaeonis. Sic nulla erit in hac domo Gynaeconitis. Et vix est, ut credamus, conjunctum fuisse receptaculum secretum cum culinâ, loco minime secreto. Culinam Aphrodisii peculiarem esse voluit scriptor Gallus; sed altera in usum communem nulla adparet.

Restat conclave (30) quod non explicant Britanni: id fortasse fuit *apotheca frugum*, aliarumve rerum [u].

Sic tandem ad *cavaedium*, et hinc ad *atrium*, explicandum nos accingere possumus: quod jam non multae erit operae. Classica est Varronis *cavaedii* de-

r Nam aram memorant G. et G.; et exhibent in tabulâ suâ numeri notam 31., quam non explicant; sed quae arae convenire videtur.

s *p.* 80 *sqq.*

t *Deipn.* V. 10. Nihil habet Casaubonus *c.* 41. saltem in ed. Schweigh.

u Quae in januâ hujus conclavis, postium loco, adparent pilae parastaticae, eae hemicylindri formâ; non vero ad angulos rectos sunt constructae. Error est lithographae.

descriptio, a Schneidero quoque primo loco posita [v]: „*Cavum aedium* dictum qui locus tectus in„tra parietes relinquebatur patulus, qui esset ad com„munem omnium usum. In hoc locus si nullus reli„ctus erat, sub divo qui esset, dicebatur *testudo*, „a testudinis similitudine—: si relictum erat in me„dio, ut lucem caperet, deorsumque quo implue„bat, *impluvium* dictum, et sursum, qua complue„bat, *compluvium*. — Circum cavum aedium „erant uniuscujusque rei utilitatis caussâ parietibus „dissepta, ubi quid conditum esse volebant, caet.”

Jam in nostro aedificio *compluvium* manifestum est (6), cisterna, ad formam piscinae, exiguae profunditatis; in qua ornamentum repertum est cervus aeneus. Itaque non dubium est, quin tectum superne habuerit locum apertum, *impluvium* [w]; totumque spatium, sub tecto et aperturâ, fuerit *cavaedium*. *Ara* item exstat (7), deorum, ut videtur, Larium.

Sed *Atrium* qui differt a *Cavaedio?* haec est difficultatis summa, quae oritur praecipue e Vitruvianâ *atriorum* descriptione (l. VI. c. 3.) qui cum *cavaedio* confundere videtur. Schneiderus [x] *cavaedium*

v Conf. *L.* IV. *p.* 38. *ed. Scal.*; *p.* 45. *ed. Bip.*, cujus lectiones paullum variant.

w *Compluvii* et *impluvii* potestatem converso ordine cum aliis viris doctis definit descriptor *Domûs Scauri* p. 43. Molesta est Varronis obscuritas. — Caeterum prospectus *cavaedii* est apud G. et G, *Tab.* 28. cf. *Tab.* 77.

x *Ad Vitr. T.* II. *p.* 444.

dium nomen latius patens esse vult spatii totius, *inter aedes* conclusi, et superne tecti, usque ad compluvium: partem vero ejus putat *atrium*, complectens alas et tablinum, et partem subjectam tecto incumbenti et ad medium usque compluvium procurrenti: ita ut fere dicas, eum alas et tablinum, tanquam loca in fronte aperta, *aedibus* non adnumerare, et contra partem primorem cavaedii, cum cellis familiaricis, ab *atrio* excludere.

Contra Gallicus scriptor [y] *atrii* nomen latius, quam cavaedii, patere censet; atrium separatum esse a parte, in qua paterfamilias habitabat, sicut apud Graecos separata aedificia erant ἀνδρωνῖτις et γυναικωνῖτις [z]. Atrii igitur partes esse non tantum *cavaedium*, id est aream tecto perforato tectam, sed et tablinum, alas [a], caeteraque minora cubicula et cellas, quibus cavaedium circumdatur. — Britanni nostri quomodo accipiant, minus perspicuum est, qui modo atrium integram aream, suis parietibus inclusam [b], modo idem ac cavaedium [c], esse ponant. Nisi forte aream parietibus inclusam non totius domûs, sed tantum interiorem intelligant, ut sit eadem pars, quam Gallus proprie *cavaedium* esse dixit.

Quidquid sit, patet *atrium* habuisse cubicula, aliaque loca tecta, circum disposita. Nec absurda mi-

y p. 41. z p. 48. not. (1).
a p. 55. b p. 147. c p. 181.

mihi videtur illa Gallici auctoris definitio: cujus fortasse fines eo usque sunt promovendi, ut in hac nostro domo omne id, quod sub primo tecto continebatur, *atrium* fuerit: scilicet, in medio, cavaedium; cum vestibulo, tabernis, cellis, alis tablinoque, et culinâ. Quibus an adjungenda sit porticus, quae tablinum circumdat, dubito; quippe quae videatur e consuetudine Graecâ in Romanorum domos esse translata.

Itaque nec Schneideri, viri celeberrimi, explicatio tantum a Gallico auctore et a nobis differt, ut non easdem vocabulo significationes translatas uterque concedere possimus. „Caussam, inquit ille [d], (cur „ *atria Maenii et Titii* Livius [e], non *domos*, dixe„ rit) in fermone antiquo requirere debemus, qui „ partem domûs praecipuam, cui adjuncta erant „ cubicula, cellae, et coenacula, ita ut aditus ad „ omnia ea membra ex atrio pateret, pro *totâ domo* „ frequentasfe videtur." Iterum [f] e Plinii *Epist.* VII. 19. efficit: „*Atrium Vestae* antiquo more fuis„ se structum ad templum Vestae: ritum enim majo„ rum in aedibus sacris religionibus retinere coactos „ fuisse Romanos. In *atrio* igitur *Vestae* cubicula „ fuisse disposita, ubi habitarent virgines vestales."

Nam eâdem prorsus ratione ego, si vera est explicatio *antiqui vestigii urbis Romae*, quam dedit Bel-

d *L. l. p.* 437. e *L.* XXXIX. 44.
f *p.* 446.

Bellorius [g] ad Tab. VI. (quam nos Tab. II. repraesentamus,) ut, ubi legitur LIBERTATIS, ibi ATRIUM LIBERTATIS plene scriptum fuisse accipiamus; hîc igitur ego suspicor *Templum* Libertatis fuisse aedificium exiguum, semicirculatâ porticu comprehensum, *a. Atrium* vero ei conjunctum per porticum, aedificium majus, *b.* Nec plura per tabulae fracturas adsequi licet.

Atque adeo, quamvis horum aedificiorum alia forte aliis explicatio probabilior videatur [h], tamen tota res visa est aliquam a lectoribus gratiam initura, propter conjunctam domûs antiquae Pompejanae explicationem. Sitne autem Pollionis *Atrium Libertatis* in Aventino, an idem quod prope Aemilii Paulli Basilicam collocat Cicero [i], et Bellorii tabula, scilicet in foro, ut videtur, haud definimus, cum tantum de *Atrii formâ* nobis sermo sit institutus.

§ 2.

g *Tab.* VI. *Thes. Ant. Rom. T.* IV. Nec enim recentiori, quae fertur, tabularum Farnesianarum editione mihi uti licuit.

h Et fuit cum ipse aliter intelligerem; scil. *a* esse tribunal hemicycli schemate, quod, secundum Vitruvii praeceptum (V. 1. 8.) Basilicis erat addendum. Sed illud tribunal Vitruvius *in aede Jovis proximâ*, non, ut hîc, *in ipsâ Basilicâ* collocat. Et si vel maxime demus, in ejus collocatione variari potuisse, tamen Basilicae Aemiliae sic nulli adparebunt parietes laterales; et si hemicyclus Basilicam Aemiliam a tergo claudit, vix credibile est *Libertatis* sive atrium sive templum, *b*, cum Basilicâ, more lineae *tangentis* (quam Mathematici vocant) *cum suo circulo*, fuisse conjunctum.

i *Epist. ad Att.* IV. 16. *p.* 449. *ed. Graev.* Locum recitat Bellorius *ad h. Tabulam.*

§ 2. *Schola Rhetorum.*

(*ad pag.* 98. *not.* 2.)

Complura deprehensa sunt Pompejis conjuncta sibi aedificia publica, theatra duo, majus cum minori, prope hoc templa Isidis et Aesculapii, prope illud templum Graecum cum ampliore areâ, porticu inclusâ. Jam inter hanc et theatrum majus, quasi anguli explendi caussâ, schola constituta fuit, quam paucis age, secundum Tab. nostram III., explicemus [k].

Rhetoricam fuisse scholam, non Grammaticam, probabile est, propter dignitatem. *Scholam* quidem fuisse, adparet e pulpito (34), fere 5 pedes alto, quod habet proxime, ad laevam, aliam basin, ad dextram scalarum gradus: omnia, ut videtur, lapidea [l]. Et haec quidem sub divo; sed scholam a tribus partibus, non a tergo pulpiti, ambit porticus, fortasse tecta, cujus columnae humiles, fere 11. pedum altitudine, ad parietis exterioris altitudinem haudquaquam adsurgunt [m]. Aditus ad scholam per januas duplex est: alter ad Borean, a viâ publicâ (33);

k Damus hanc secundum G. et G. *Tab.* 63. quae ipsa male inscripta est 68. Scholae orthographia est *Tab.* 73.

l Sed basis et gradus cum pulpito non sunt conjuncti; uti perperam habet nostra tabella.

m G. et G. *p.* 258. *ad Tab.* 73.

(33); alter (32) ad Occidentem, a porticu, templo Graeco adjunctâ: et haec quidem janua, testibus gradibus valde detritis, inprimis frequentata fuit. Scholae addita est exedra (35), et duae cellae, sive alia sint cubicula (36, 36).

Hactenus schola: quam circumdant a parte Orientali *cubicula* (27 et 31), *templo Isidis* adjuncta, forte ad sacerdotum usum; *area subdialis* a *theatro majori* seclusa, in eâque *turris et cisterna* (48) [n]. Ad Occidentem est *Porticus templi Graeci*, et ante eam *Propylaeum* cum fonte (1) [o].

§ 3. *De Pollionis imaginibus.*

(*ad p.* 34. *not.* 2.)

Asinii Pollionis, cujus tanta fuerunt merita in Româ artibus ornandâ, et in exponendis publice clarorum scriptorum imaginibus, nullam esse effigiem superstitem novimus [p]. Erit, cui in mentem veniat Spanhemii opinio, reperiri ejus vultum in nummo *Caesareae* cujusdam, Asiaticae urbis; quam bene refu-

n Quae male in G. et G. Tabulâ, et in meâ quoque, n. 48. notantur; nam describuntur ab iisdem sub n. 49.

o In Propylaei columnis angularibus, et in fontis figurâ, paullum erravit noster artifex, sed absque suâ culpâ.

p Mihi saltem nullae innotuerunt; nec in Tassiano Gemmarum Catalogo notatae sunt. Noverint fortasse quibus major Museorum Romanorum copia est. Viscontianum opus postumum, *Iconographie Romaine*, cujus spes nobis facta est, avide exspectamus.

futasse videtur Thorbeckius noster, tum Eckhelianis argumentis, tum praecipue proprio, quod hic Pollio nunquam in Asiâ provinciam rexerit. Sed refragatur ipsa quoque nummorum doctrina. Nummos vultu suo signare, ante aetatem Macedonicam, nulli concessum; ab hoc tempore, Regum proprium fuit. Romae semper vetitum, utpote regium, et odiosum [q]: nec factum in provinciis a magistratibus Romanis [r]. Sed Caesari, amissâ libertate, fuit indultum: post cujus mortem percussores idem sibi sumsisse videntur. Tandem Triumviri Reip. const., et singuli et conjunctim, eodem jure sunt usi: quod postea, in Augusto continuatum, longae nummorum Imperatoriorum seriei initium fecit. Quod autem sub Augusto frequentissimi exstent *M. Agrippae* nummi, ipsius vultu insignes [s], indultum id Agrippae genero, et Tiberio privigno, sed utrique *Tribuniciâ potestate* jam ornato [t].

Cae-

q Vid. Eckh. *Doctr. Numorum*, passim, praecipue *Proleg. Gener. Cap.* XIII.

r Videntur tamen exempla nominum obscurorum occurrere. Vid. Eckh. *T. V.* in Atio Balbo, Arrio Secundo, Livinejo, Servio Rufo, Mitrejo. Sed res ipsa adhuc incerta est: et paucissima exempla contraria regulae caeteroquin certissimae.


s De quibus vid. Eckh. *Doctr. Numm. T.* VI. *p.* 162.

t Vid. eund. *Prol. General.* I. l. p. LXXII. Caeterum ab hac parte et saepe peccatur, et nuperrime, quod nollem factum, in elegantissimo libello idem accidit. Quam animadversionem spero ab auctore consultissimo aequi bonique factum iri.

Caeterum nummi Spanhemiani, *Pollionis* nomine inscripti, utrum ad *Asiniam* gentem, et ad quamnam *Caesaream*, sint referendi, contra Eckhelium disputavit Sestinius [u]. Cujusmodi disputationem, etsi jam ab argumento nostro remotiorem, non soleo inutilem existimare: quia saepe accidit, ut nummorum cognitio facti alicujus, ab historiae scriptoribus omissi, nec opinato notitiam aperiret.

u In *Descr. Nu. Vett. ex Museis Ainslie*, etc. p. 247. — Mionnetus litem in dubio reliquit: *Descr. de Méd. Gr. T.* II. *p.* 419, *T.* IV. *p.* 181; *coll. T.* VI. *p.* 123.


B. I.



Ichnographia DOMUS C. Sallustii

POMPEJIS.

E Pompejanis V. Nob. G. Gell. Tab. 27.



ATRIUM LIBERTATIS

E BELLORII Vestigio Veteris Romæ Tab. II.

TAB. III.

Ichnographia SCHOLÆ RHETORUM

POMPEJIS.



E POMPEJANIS V. Nob. G. Gell. Tab. 63.

CORRIGENDA.

Praefat. p. XI. v. 12. hac *lege* hoc

Disp. p. 78. v. 21. uni —— unam

—— p. 81. v. 16. *add.* conf. Plin. Epist. I. 20. n. 4.

—— p. 102. not. v. 7. Πρωμηθεῦ *lege* Προμηθεῦ

—— p. 124. v. 6. Verba etc. —— (verba retulimus l. l. p. 79.):



